PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

CORPUS CHRISTI QUOD EST ECCLESIA

I.

INTRODUCTIO GENERALIS

AUCTORE

SEBASTIANO TROMP S. I.

IN UNIV. GREG. THEOL. PROF.

EDITIO ALTERA REVISA ET AUCTA

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1946

IMPRIMI POTEST

Romae, die 17 ian. 1946

P. EMMANUEL PORTA
Praep. Prov. Romanae S. I.

IMPRIMATUR

Romae, die 19 febr. 1946

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. Ger.

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae - Romae

LECTORI AUCTOR

In hac nova huius libri editione, ob temporum circumstantias longius remorata quam multis gratum erat, quaedam correxi, quaedam clarius edicere conatus sum, quaedam addidi. Peculiari modo rationem habui Encyclicae, anno 1943 a Pontifice Supremo feliciter regnante in lucem editae « Mystici Corporis », quae tota est de mystico Iesu Christi Corpore, deque nostra in eo cum Christo coniunctione.

Quamquam ob interruptum periodicorum commercium multa mihi latebant et adhuc latent, tamen subsidia litteraria notabiliter auxi. Praecipue mihi cordi erant documenta Romanorum Pontificum; etenim in iis fere omnia inveniuntur elementa, quae in Encyclicis modo praedicatis Pii Papae XII in unam synthesin harmonice iunguntur.

Spero feriis aestivis sat otii mihi futurum, ut Deo favente tractatum de Christo Capite, quem per aliquos annos in praelectionibus academicis exposui, typorum compositoribus tradere possim.

Romae, In Circumcisione Domini, 1946.

COMPENDIA

AAS — Acta Apostolicae Sedis, Romae 1909 sqq.

ASS — Acta Sanctae Sedis, 42 vol., Romae 1865-1908.

BRT — Bullarium Romanorum Pontificum, 24 vol., Aug. Taur. 1857-1872.

BCP — Bullarii Rom. Continuatio, 9 vol., Prati, 1835-1856.

CL VII — Collectio Lacensis: Acta et Decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani, Friburgi Br., 1892.

Coll. Prop. Fid. — Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, 2 vol., Romae, 1907.

Denz. — Denzinger — Bannwart — Umberg, Enchiridion Symbolorum, ed. 21-23, Friburgi Br., 1937.

Harduin. — I. Harduinus S. I., Conciliorum collectio regia maxima, ed. 2, 12 vol., Paris., 1715.

MG — Patrologia Cursus Completus: series graeca, ed. J. P. Migne, Parisiis, 1857 sqq.

ML — Patrologiae Cursus Completus, series latina, ed. J. P. Migne, Parisiis, 1844 sqq.

R — M. Rouët de Journel, Enchiridion Patristicum, ed. 9. Friburgi Br., 1932.

PRAEFATIO

In hisce praelectionibus academicis obiectum inquisitionis est Ecclesia Una Sancta Catholica Apostolica, seu — ne quid ambiguitatis remaneat — Ecclesia Romana. Consideratur autem prout a Spiritu Christi organice vivificatur et foecundatur et cum Christo theandro in unam personam theandram coniungitur: seu prout est Corpus Christi Mysticum, immo quatenus unitur cum suo Capite, vel Spiritu Christi sustentatur: Christus Mysticus.

Duplici enim ratione Ecclesia Christi considerari potest: ex una parte visibilis est et visibiliter exoritur; ex altera parte spiritalis est et spiritaliter nascitur: haud aliter ac eius exemplar supremum: Christus Salvator Corporis. Et quamquam duo aspectus artissime cohaerent — sunt enim diversi aspectus unius eiusdem obiecti materialis — tamen formaliter distinguuntur, et ansam praebent diversis inquisitionibus et speculationi diversae. Haud aliter ac de natura hominis aliae sunt indagationes, prout consideratur vel ut animal vel ut ens rationale.

In Epistola Encyclica percelebri 29 Iun. 1896 *Satis Cognitum* Leo Papa XIII cum alia tum haec conscripsit, quae cotidianae meditationi esse deberent haud minus illis, qui ad Ecclesiam quandam amoris refugiunt, ut sese contra Ecclesiam iuris defendant, quam istis, qui ita in re iuridica haerent, ut indolem pneumaticam Ecclesiae prorsus neglegere videantur, dum ambo obliviscuntur in duplici missione fundari Ecclesiam: in missione sc. visibili Christi atque Apostolorum, in missione invisibili Sancti Spiritus. Sunt autem Leonis verba haec, *ASS* 28 pag. 709-711:

« Cum divinum munus eius perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille (sc. Christus) sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae partici-

pes: cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e caelo, praecepit, peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent: hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam. — Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita: quae quidem, si extremum illud quod vult, caussaeque proximae sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis*: si vero eos consideres, quibus cohaeret, resque ipsas quae ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua. Docendi munus accepere Apostoli per cognoscenda visu audituque signa: idque illi munus non aliter exsecuti quam dictis factisque, quae utique sensus permoverent. Ita quidem illorum vox extrinsecus illapsa per aures, fidem ingeneravit in animis: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* [1]. Ac fides ipsa, scilicet assensio primae supremaeque veritati, mente quidem per se comprehenditur, sed tamen eminere foras evidenti professione debet: *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem* [2]. Simili modo nihil est homini gratia caelesti, quae gignit sanctitudinem, interius: sed externa sunt ordinaria ac praecipua participandae instrumenta gratiae: sacramenta dicimus, quae ab hominibus ad id nominatim lectis, certorum ope rituum, administrantur. Iussit Iesus Christus Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut edocerent ac regerent: iussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati obedienter subessent. Verum isthaec in Christiana republica iurium atque officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne incohari quidem potuisset nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. — Quibus de causis Ecclesiam cum *corpus*, tum etiam *corpus Christi* tam crebro sacrae litterae nominant: *Vos autem estis corpus Christi* [3]. Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Iesus Christus, in

[1] *Rom.* X, 17.
[2] *Ib.* 10.
[3] 1 *Cor.* XII, 27.

eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, apparet.

Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita supernaturali praeditum. Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photiani ac Nestoriani faciunt; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod solent Monophysitae: sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili: sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit. Cum autem Ecclesia sit *eiusmodi* voluntate et constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet *eiusmodi* in aeternitate temporum: ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennitatem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset temporumque certo spatio definitus: quod cum veritate utrumque pugnat. Istam igitur et visibilium et invisibilium coniunctionem rerum, quia naturalis atque insita in Ecclesia nutu divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa permansura Ecclesia ».

Haec verba Leonis, quae nuper in nova luce posita sunt a Pio XII in Encyclicis *Mystici Corporis*, sufficiant. Agam

igitur de ipsa Ecclesia, prout est Mysticum Corpus Christi; ideoque non solum de fidelibus, quatenus nexibus invisibilibus cum Christo coniuncti sunt, sed etiam, et quidem primario, de ipso organismo Ecclesiae prout modo mysterioso originem ducit ex Spiritu Christi et a Spiritu Christi vivificatur.

In parte priore huius operis do introductionem quandam generalem, originem sumens ex variis allegoriis, quibus ipse Spiritus Sanctus mysterium Ecclesiae revelavit; in sequentibus agam de quaestionibus specialibus, quarum principaliores erunt de Christo Capite, de Spiritu Sancto Anima, de B. Virgine Corde, de organis, de membris, de modo unionis, de dotibus, de exortu progressivo, de causis Corporis Dominici, tandem de eius habitudine ad tres personas SS. Trinitatis.

Sunt autem hae praelectiones scholae et studio destinatae. Quare qui sperat se in istis inventurum lectionem aliquam iucundam ac gratam, librum ne aperiat, sed potius claudat septem sigillis.

SECTIO PRIMA

De Tractatu Ecclesiae Christi eiusque indole

Tractatus Ecclesiae duplici modo considerari potest: in relatione quam habet ad alia mysteria, et etiam in semetipso.

Considerari potest in relatione sua ad alia mysteria seu in habitudine sua ad alios theologiae tractatus. Nam etiam Ecclesia est mysterium quoddam. Et hac de causa sicut mysteria omnia coniunguntur inter se et ordinantur ad gloriam Dei in visione beata, cf. *Denz.* 1796: sic etiam Ecclesia in oeconomia divina suum locum habet.

Quamquam vero Ecclesia relationes habet easque profundissimas ad alia arcana nobis revelata, tamen ex altera parte constituit aliquod unum in se: « animal compositum et heterogeneum », ut sat plastice dicit Nazianzenus in altera Oratione Apologetica 44-45: *MG* 35 col. 452; immo personam quandam, ut S. Paulum secuti docent omnes Patres: personam ipso Christi nomine insignitam. Quare etiam theologi est figuram Ecclesiae synthesi quadam theologica depingere a capite usque ad ora vestimenti. Quod eo difficilius est, quia agitur de phaenomeno divino simul et humano, visibili et velato, iuridico et mystico, historico atque sociali et tamen origine, progressu, evolutione, omnes leges historicas atque sociales simpliciter transcendente.

De utraque quaestione breviter agam per modum simplicis explicationis. Scio alias et meliores expositiones fieri posse. Quamdiu enim versamur in hac terra et nondum gaudemus visione beata, omnis expositio debilis erit et incompleta. Hac de re capita duo sequentia solummodo incitent, ut melius quid fiat.

CAPUT PRIMUM

De relatione Ecclesiae ad alia mysteria

1. In principio, ante omnia saecula, est Deus.

Pater ingenitus, contemplando essentiam divinam eiusque profunditates infinitas, producit Verbum et sic communicando naturam divinam generat Filium unigenitum. Qua communicatione Filio communicat quoque, ut secum sit aeque immediate principium unicum amoris spirativi. Sic Pater et Filius rapti amore ineffabili Deitatis omniumque bonorum incomprehensibilium, quae in ea absconduntur, unica spiratione infinite affectuosa spirant amorem aeternum. Amor ille spiratus est Spiritus Sanctus. Sic ab aeterno est SS. Trinitas, unus Deus: Pater ingenitus, Filius unigenitus a Patre procedens, Spiritus Sanctus spiratione procedens a Patre Filioque nec minus a Patre per Filium.

2. Infinita sua bonitate et virtute omnipotenti Deus vult actu liberrimo sese manifestare ad extra, ex bonis suis infinitis communicando creaturis, ut creaturae glorificent Creatorem.

Vult autem Deus hanc manifestationem gradu quodam supremo: ita ut ex parte Dei sit suprema quaedam suae vitae intimae revelatio et communicatio, ex parte creaturae suprema quaedam laudis retributio.

Potest enim Deus variis gradibus sese communicare:

a) Creando entia intellectu et voluntate carentia, in quibus eluceant vestigia sapientiae, fortitudinis, pulchritudinis divinae, ut ex iis redundet gloria quaedam obiectiva Creatoris.

b) Creando etiam entia intellectu et voluntate praedita, ut e contemplatione totius creationis vi naturali intellectus ascendant ad Deum Creatorem, Eum cognoscant, agnoscant et ament, iam formali laude glorificantes Deum; et hoc facientes iam non sint vestigium merum Dei, sed imago illius, qui est suum esse, suum intelligere, suum amare.

c) Non solum creando entia intellectu et voluntate praedita, sed simul revelatione et communicatione vitae intimae SS. Trinitatis ea elevando ad consortium divinae

naturae, ad participationem quandam ipsius vitae absconditae Deitatis per gratiam et gloriam: ut cognoscant et ament Deum sicut est, scilicet in mysteriosa illa communicatione divinae naturae in ipso sinu Trinitatis per generationem mentalem et spirationem amorosam; et hac ratione imagines Dei facti ad divinizationem usque, glorificent Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, laude quadam ineffabili, iam transcendente capacitates omnes totius naturae creatae.

d) Trahendo naturam aliquam creatam per unionem hypostaticam ad copulationem inseparabilem cum ipsa natura divina; qua tractione creatura, iam ipsa facta Deus, propter infinitam dignitatem personae, in qua unitur cum divinitate, Trinitati Sanctissimae possit dare laudes, Deo absolute condignas.

e) Trahendo ad unionem hypostaticam naturam aliquam humanam, ratione sanguinis et originis maternae non tantum consubstantialem sed etiam consanguineam generi ex quo procedit: ita ut creatura illa, propter supereminentiam suam iam caput naturale totius generis constituta, etiam propter redundantiam consortii divinae naturae ex sese in consanguineos, fiat eius caput supernaturale; et consequenter gloria Deo prorsus condigna non solummodo laudet Deum ratione sui, sed etiam prout est caput generis universi; consanguinei verum glorificent Deum gloria quadam infinita, utpote exhibita cum Ipso et in Ipso et per Ipsum.

3. Deus voluit hanc sui manifestationem supremam, in qua omnes gradus inferiores continerentur, eo quod prae aliis personis Persona Verbi assumeret carnem humanam: quia in tali ordine missiones divinae ad extra melius correspondent processionibus ad intra; et in genere humano elevato tali modo pulchrius elucet participatio ipsius SS. Trinitatis. Est enim Pater, qui mittit Filium, et una cum Filio a se misso et per Filium a se missum mittit Spiritum Sanctum, ut per Spiritum uniti cum Verbo incarnato per Christum ad Patrem accedamus.

4. Deus voluit hanc supremam sui manifestationem per creaturam, quae unione hypostatica Verbi, ut dixi, Deo,

sanguinis autem unione generi suo esset consubstantialis: tali modo, ut in manifestatione illa quam maxime splenderet omnipotentia Patris, sapientia Filii, amor Spiritus Sancti in summa misericordia simul et summa iustitia.

Hac de causa ex infinitis ordinibus possibilibus eligit ordinem, in quo permittatur peccatum, sine quo manifestatio misericordiae et iustitiae est impossibilis; et simul decernit ut totum genus humanum in peccatum lapsum, quam maxime in ipsa redemptione Deo sit collaboraturum.

Consequenter eligit ab aeterno:

a) Christum, Deum-hominem, caput generis humani simul et redemptorem.

b) B. M. Virginem, Matrem Dei, praeservandam a Christo a peccato, et ex virtute eius corredemptricem.

c) Homines, membra Christi, a Christo redimendos et secundum gradus varios non tantum salvandos sed etiam salvantes, id est cooperantes cum Christo in applicatione fructuum redemptionis ad divinorum omnium illud divinissimum, ad salutem animarum.

5. Deus creat homines et angelos, participatione divinae naturae imagines SS. Trinitatis. Pars angelorum peccat et irrevocabiliter condemnatur. Angelus autem lapsus decipit protoparentes hominum, et in peccato Adae protoparentis maculatur totum genus humanum peccato originali. Hoc autem peccato:

a) Intellectus hominum debilitatur in cognoscendis veritatibus divinis, supernaturalibus, immo et naturalibus.

b) Voluntas hominum debilitatur, ita ut iam moraliter incapaces fiant observationis totius legis divinae.

c) Imago Dei naturalis et imago SS. Trinitatis supernaturalis in hominibus ita corrumpitur, ut iam nullam laudem gratam dent Deo, nisi obiectivam illam, quae procedit ex natura omnis entis creati et ex natura poenae vindicativae.

6. Deus Pater mittit suum Filium Unigenitum, ut homines recuperent vitam per eum. Christus incarnatur de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, ut sit Caput generis humani, et redemptor ex genere nostro. Fit particeps nostri sanguinis et nostrae naturae, ut nos faciat participes Spiri-

tus sui et divinae naturae. In illa incarnatione quattuor sunt consideratione dignissima:

a) Natura humana in persona Verbi unitur cum natura divina.

b) Christus ut homo accipit plenitudinem Spiritus Sancti, cum omnibus gratiis, donis et charismatibus, non tantum ratione Sui, sed etiam ut opere redemptivo perfecto, Spiritum effundat in genus humanum.

c) Licet in alvo Virginis in signo priori ad sacrificium crucis nondum sit unio Christi cum genere humano ratione Spiritus effusi, tamen multiplices sunt rationes, cur iam in incarnatione copuletur genus humanum cum Christo capite.

1° Ratione supereminentiae ex una parte, ratione consanguineitatis ex altera, Christus fit novus Adam stirpis humanae.

2° In Christo singulari ratione includuntur omnes homines. Prae ceteris ratione eminentiae, quia nulla excogitari potest perfectio humana, quae non sublimiori modo inveniatur in Christo. Deinde ratione causalitatis exemplaris, quia Christus est archetypus, secundum quem vita supernaturalis singulorum ac totius Ecclesiae efformari oportet. Tertium ratione finalitatis, cum Christus (non utique ut persona divina est, sed quatenus naturam participat humanam) sit finis intermedius, in quo et cum quo et per quem omnes tendant necesse est in unionem et gloriam Patris. Quartum ratione influxus vitalis, quia tota vita spiritualis hominum omnium includitur in Christo, sicut in vite continetur vita futura omnium palmitum futurorum. Tandem ratione cognitionis amorevolae, qua Christus omnes omnibus cum suis actionibus praesentes sibi habet et amore salvifico amplectitur.

3° In Christo iuridice repraesentantur omnes homines. Illa positio iuridica necessario sequitur ex supereminentia Christi. Eo ipso quod Pater vult Christum incarnari ex sanguine generis humani, unice Christus est qui genus mortalium vere repraesentare possit ex Patris voluntate.

d) Incarnatione ipsa Christus mittitur triplici munere Messianico, in quo summopere elucet virtus et potentia Patris, sapientia Filii, amor Spiritus Sancti: munere scilicet regis, doctoris, sacerdotis; ut generi lapso fiat via,

veritas, vita; ut sit nobis sapientia a Deo, iustitia, sanctificatio atque redemptio.

7. Posito in incarnatione fundamento mystici Corporis, quod fundamentum ipse Theandros est, tempore praedicationis Christus mittit apostolos eorumque successores, sicut ipse missus est a Patre. Instituit regnum sociale et visibile: veritatis, iustitiae et gratiae: in sacro magisterio, imperio et ministerio. Quia ex voluntate Patris non solum homines debent salvari, sed etiam salvati salvare, regnum illud sociale debet opus redemptivum Christi perenne reddere. Praeponit Christus huic societati Petrum primatem, ut Caput Ecclesiae, ipse Christus, semper in Vicario suo visibile maneat. Tradit Christus apostolis suis potestatem miraculorum, ut et ipsi missionem suam probare possint signis divinis, sicut et ipse signis probavit suam. Collaborat in Regno constituendo B. M. V., cuius oratu fit primum miraculum, propter quod apostoli credunt in Christum. Sic Ecclesia a Christo organizata in opere salvifico fit continuatio et pleroma ipsius Christi.

8. In cruce Christus redimit genus humanum. Offert Deo Patri semet ipsum oblationem mundam, et in semet ipso totum genus humanum, quod variis titulis in se continet, nec minus Ecclesiam a se visibiliter erectam et in sanguine suo definitive et aeternaliter stabiliendam. Hanc oblationem exprimit verbis sacrificalibus in Oratione sua Sacerdotali: Pater, venit hora... Cf. *Gregorianum* 13 (1932) pag. 515-516.

In hoc sacrificio Crucis, qua Christus satisfacit Deo Patri laeso; genus humanum redimit e potestate diaboli et sibi acquirit genus electum; Ecclesiae meret thesaurum infinitum gratiarum: consistit redemptio obiectiva.

Fructus immediati redemptionis obiectivae sunt tres:

a) Pater deponit odium suum erga genus humanum, eo quod praeservat Matrem Salvatoris; et propter Christum et Matrem compatientem, bene afficitur erga singulos homines, quatenus paratus est, ut iis aperiat viam salutis, si libere volunt intrare in Ecclesiam a Christo institutam.

b) Filius meretur, ut plenitudinem Spiritus Sancti quam habet in sua humanitate possit effundere in homines.

Aliis verbis: fit caput generis humani ratione effusionis et missionis Spiritus Sancti.

c) Spiritus Sanctus, quo momento Christus tradit spiritum, tamquam fons omnium donorum, gratiarum, charismatum, a Christo infunditur in Ecclesiam, quae antea materialiter fundata, nunc vivificatur a Spiritu Christi et cum Christo constituit unum novum hominem: Christum Mysticum.

9. Sicut unio Corporis Mystici constituitur in Cruce, sic eius unio conservatur et fortificatur Sacrificio Eucharistico, quo Sacrificium Crucis perpetuo in Ecclesia repraesentatur modo incruento.

Redemptio subiectiva unice perficitur in Ecclesia, sicut obiectiva unice in Cruce.

a) Homo baptismate, quo baptizatur in mortem Christi, introducitur in Ecclesiam visibilem, quae est Corpus Christi, et incorporatus particeps fit Spiritus Christi, Ecclesiam vivificantis.

b) Quia accipit homo Spiritum Christi, fit membrum Christi, et unitur Verbo.

c) Quia fit membrum Filii, fit filius Patris adoptivus, et unitur Patri.

Sic redemptione subiectiva ope Ecclesiae, quae est Corpus Christi, triplici ratione homo refertur ad Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, prout secundum ordinem processionum mittunt et mittuntur; et plene fit consors naturae divinae, dum coniungitur cum Patre per Filium in Spiritu.

10. In die Pentecostes Christus tradit Ecclesiae in Coenaculo unitae, Deum deprecanti una cum B. M. Virgine, pleniorem effusionem Spiritus cum uberioribus donis et charismatibus; primum, ut Ecclesia ipsa per dona miraculosa sit perpetuum motivum credibilitatis missionis suae, sicut et Christus ipse thaumaturgus erat motivum credibilitatis missionis propriae divinae; secundum, ut Spiritu Sancto modo peculiari roborata, eo fructuosius aggredi possit opus praedicationis evangelicae ac fundationis singularum ecclesiarum; tandem ut Ecclesia in variis suis membris et organis perfectius exprimere possit omnes virtutes

et functiones Christi, et sic ipse Christus perfectissime adimpleatur in corpore suo quoad omnia in omnibus.

11. Quia Ecclesia est Corpus Christi Regis et Sacerdotis, etiam omnia membra esse debent membra regia et sacerdotalia, quae singula suo modo participent munus Christi sacerdotale et regium: quod fit charactere sacramentali, quo gradibus variis exprimitur singulorum deputatio ad extendendum Regni Christi et animarum sanctificationem procurandam.

12. Hac in terra Corpus Christi Mysticum, ratione membrorum, quae nondum sunt impeccabilia, non iam est sine macula et ruga. Qua de re Christus Caput per Spiritum suum, numquam desinit infundere Ecclesiae suae varia dona et charismata, ut per sacrum magisterium, imperium, ministerium, opus Christi infallibiliter perenne facere possit; singulis autem membris varias gratias, quibus ad sanctificationem excitentur et disponantur, sanctificationem accipiant vel recuperent et acceptam augeant.

Sanctificatio autem eiusque incrementum vel fit immediate a Spiritu Christi vel ope organorum eminentium, sicut et anima in sanitatem membrorum influit et per se et per organa altiora corporis. Hac de re gratiae sacramentales et extra-sacramentales. Sacramenta autem sunt magis individualia vel magis socialia, prout spectant primarie ad bonum membrorum vel ad bonum totius organismi supernaturalis.

Gratiae autem omnes dantur propter intercessionem Christi, qui munere suo sacerdotali fungi non desinit in caelis et B. M. V. mediatricis; deinde secundum mensuram donationis Christi, qui in coelis gratiis distribuendis auctoritate suprema, exercet munus suum regium, condistribuente B. V. Regina.

13. Haec munera Christi, quatenus intendunt augmentum Corporis Christi, desinunt esse post diem ultimum, quando Ecclesia perfecte Christo subiecta, acquiret perfectionem suam definitivam, et hoc sensu Christus tradit Regnum Patri. Iudicio finali peracto, eiectis omnibus membris indignis, Sponsa seu Corpus Christi erit absque macula et

ruga in caelo, ubi omnes, salvati ut erant et salvantes, in visione beata, perfectione suprema contemplantur et participant vitam aeternam Trinitatis in perpetua processione Sapientiae et Amoris, et in aeterno laudant Deum Unum et Trinum, uniti cum Patre per Filium, sedentem a dextris Dei, in Sancto Spiritu. Cf. Gregor. Magn., *Moralia* 30, 4, 17: *ML* 76 col. 534.

CAPUT ALTERUM

De Tractatu Ecclesiae considerato ut est in se

Quantum fieri potuit explicavimus, quomodo Ecclesia, quae est Corpus Christi, sese habeat ad totam oeconomiam divinam et consequenter cohaereat cum theologia universa.

Paulatim in Ecclesia exortus est tractatus specialis de Christi Ecclesia. Notum est iam S. Melitonem Sardensem et Clementem Alexandrinum scripsisse libros de Ecclesia, eheu deperditos. Quamquam autem Patres et antiquiores scholastici perplura contribuerunt ad mysterium Ecclesiae melius cognoscendum, systematica rei tractatio non videtur praecedere saeculum XIV. Effloruit autem inter varios recentiorum temporum auctores versicolor quaedam tractatuum varietas, prout obiectum considerant ut mere locum theologicum vel ut materiam inquisitionis theologicae; apologetice vel dogmatice; iuridice vel mystice; historice vel speculative. Nullus quoque fere tractatus exsistit, qui tantopere lege actionis et reactionis subiit influxum « adversariorum ». Variis aspectibus et indigentiis satisfacere haud facile est. Ut iterum considerationem longiorem evitem, conabor schematice rem ita describere, ut saltem aliquo modo variis desideriis respondeatur, initium sumens ex principio theologico: etiam Ecclesiam secundum aspectum suum totalem esse opus SS. Trinitatis, et ex Personarum missione.

I. Ecclesia Regnum Patris

Tractatus de Regno Dei vel de Regno Caelorum. Fontes prae ceteris Evangelia. Quia in tractatu de Ecclesia, prout a nobis proponitur, supponitur missio divina Christi; praedicatio autem Christi, Deo sic providente, nobis impri-

mis conservata est in Evangeliis: ista in tractatu de Ecclesia non tantum considerari possunt ut libri historici sinceri, sed etiam ut libri, qui subsunt speciali Dei providentiae. Adversarii praecipui: protestantes liberales et modernistae.

a) Pater mittit Filium: ut omnes per Regnum Dei in terra perducat ad Regnum Dei caeleste.

b) De persona Regis: Filius mittitur ad totum genus humanum ut unicus doctor supremus auctoritative docens quae audivit a Patre; ut unicus legislator et dux absolutus, promulgans leges e mandato Patris; ut unicus Summus Sacerdos mediator inter Patrem et homines. Est theandros; quare non solus Pater, sed etiam Filius ipse est obiectum praedicationis Regni. Est virgo, pauper, oboediens usque ad mortem. Signis, quae facit in nomine Patris, ostendit se missum a Patre.

c) De natura Regni Caelorum: evacuatio et summa impletio Veteris Testamenti; doctrinale, ethicum et gratiosum; internum et externum; temporale et eschatologicum; supernaturale et theocraticum.

II. Ecclesia Regnum Filii

Tractatus de Ecclesia Christi, prout missionis Christi visibiliter incarnati est visibilis continuatio: « Sicut misit me Pater, ego mitto vos » id est missione visibili. Oportuit enim, ut dicit S. Thomas *De Veritate* q. 29, a. 4, ad 3, quod visibilem naturam assumeret, ut per visibilem gubernationem ad invisibilia homo revocaretur.

A. - *De Ecclesiae institutione ex voluntate Christi*

Fontes sunt prae aliis evangelia. Norma inquisitionis datur a Leone XIII in Encyclica *Satis Cognitum*, non inquirendum qualis Ecclesia esse possit, sed qualem eam esse voluerit, qui eam condidit. Adversarii praecipui: protestantes omnes et modernistae, pro parte Orientales separati.

a) Analysis physica.

1° Christus instituit sacrum magisterium, cui tradit totum depositum fidei; sacrum imperium, cui tradit legem fundamentalem; sacrum ministerium, cui tradit instrumenta sanctificationis: ita ut perennis sit continuatio triplicis missionis Messianicae Christi.

2° Christus instituit primatum regiminis et magisterii, ut Ipse, primum visibile Ecclesiae Caput, post suam ascensionem iugiter visibilis maneat in Vicario suo Petro eiusque successoribus.

3° Christus tradit apostolis et ipsi Ecclesiae virtutem miraculorum, ut probent missionem suam, quo modo Christus probavit suam.

4° Christus sanctificat matrimonium, illud redigens ad primitivam puritatem; et promulgat consilia evangelica, quorum ipse est exemplum.

5° Christus vocat omnes, ut secundum conditionem suam secum in opere apostolico collaborent.

Sic Christus mittit Ecclesiam, iuridice et ethice, ut ipse missus est a Patre.

b) Synthesis metaphysica.

1° Ecclesia est iuridica et ethica continuatio ipsius missionis Christi, per modum societatis verae et perfectae, hierarchice constitutae, universalis atque perennis, organis variis instructae cum ad probandam missionem suam, tum ad consequendum finem proprium.

2° Finis internus Ecclesiae, seu propria eius perfectio, qua disponitur proxime ad agendum, in eo est quod est continuatio missionis Christi secundum varia attributa et officia Messianica; finis externus hic in terra est cultus Dei in sanctificatione hominum, terminative autem gloria suprema Dei in eorum visione beatifica.

3° Ex natura Ecclesiae sequuntur eius proprietates inalienabiles: unitas atque unicitas; visibilitas atque cognoscibilitas; sanctitas atque credibilitas; immutabilitas atque indefectibilitas; necessitas ad salutem. Nulla igitur distinctio realis inter Ecclesiam visibilem et Ecclesiam promissionum.

B. - *De exsecutione voluntatis Christi tempore apostolico seu de organizatione Ecclesiae in fieri*

Fontes sunt Actus Apostolorum eorumque Epistolae necnon scripta quaedam subapostolica. Cum fontes isti, sicuti de facto iacent, sunt sat lacunosi, semper erit ratio habenda continuitatis historicae. Aliis verbis: explicari debent fontes, ex una parte ratione habita voluntatis Christi, in Evangeliis expressae, ex altera parte ipsius Ecclesiae Catholicae

in periodo mox sequente plene organizatae. Adversarii principaliores: protestantes omnes; critici historici rationalistae; schola democratica et charismatica; schola liberalis historica-religiosa.

a) Inde ab initio praedicatio apostolica est universalis ad Iudaeos scilicet et ad gentes, secundum oeconomiam tamen a Deo volitam.

b) Ecclesia primitiva gaudet omnibus elementis essentialibus: magisterio, imperio, ministerio, primatu.

c) In Ecclesia primaeva, utpote ingenti cum difficultate propaganda, uberrima est charismatum miraculosorum effusio ad ostendendam eius originem divinam. Minime vero omnia charismata sunt miraculosa: etenim praeter charismata miraculosa sunt alia, natura sua variis officiis, statibus, gradibus Ecclesiae de more ordinario adnexa. Sunt autem etiam charismatici ex operatione miraculosa Spiritus Hierarchiae subiecti. Quare Ecclesia primitiva, licet corpus variis charismatibus instructum, haud minus erat corpus iuridicum.

d) Apostolatus includit munus duplex: doctoris et pastoris, deinde testis et fundatoris. Muneri testis et fundatoris annexa sunt privilegia specialia.

e) Apostoli ut fundatores iuvantur ab adiutoribus ordinis minoris: apostolis, prophetis, evangelistis.

f) Successores apostolorum in munere doctoris et pastoris sunt Episcopi ecclesiis particularibus addicti. Dioeceses eriguntur ad exemplar Ecclesiae Universalis, earumque specimen primum est Ecclesia Hierosolymitana.

g) In sede apostolica Romana habetur successio S. Petri eiusque primatus.

h) Iam in primaeva Ecclesia singulari ratione honoratur observatio consiliorum evangelicorum.

i) Matrimonio iuncti et societas domestica in Ecclesia primitiva speciali modo ad Corpus Christi referuntur.

k) Iam in primaeva Ecclesia laici vocantur in auxilium Hierarchiae.

C. - *De exsecutione definitiva voluntatis Christi seu de organizatione Ecclesiae in facto esse*

Sectio prior: Ubi est Ecclesia? seu de vera Ecclesia invenienda. Normas directivas praebent documenta ecclesiastica: Adversarii: ecclesiae protestantes et dissidentes.

a) Via continuitatis historicae (longior et fontium defectu difficilior): Ecclesia Christi est Ecclesia Apostolica; Ecclesia Apostolica est Ecclesia Catholica; Ecclesia catholica est Ecclesia Romana.

b) Via empirica: i. e. Ecclesia prout visibiliter apparet, sive in cursu totius historiae, sive hoc temporis momento, consideratur in se ut ingens miraculum, ideoque ut motivum perpetuum credibilitatis.

c) Via quattuor notarum: scilicet Unitatis, Sanctitatis, Catholicitatis, Apostolicitatis. Differt argumentum prout notae considerantur ut distinctivae proprietates, a Christo determinatae; vel ut distinctivae proprietates miraculosae qua miraculosae.

d) Via Primatus: Ubi Petrus, ibi Ecclesia.

N. B. Inventa Ecclesiae Romana ut authentica continuatione missionis Christi, tractatus iam incipit esse dogmaticus. Dum in priori parte documenta ecclesiastica unice adhibentur ad clare stabiliendam positionem ac mentem Ecclesiae in defendenda propria sua legitimitate, minime vero ad probandam hanc positionem, quod unice fit lumine rationis: in iis, quae sequuntur, documenta ista iam fiunt fons theologicus, utpote proposita a magisterio, de cuius auctoritate divina iam constat.

Sectio altera: Quid est Ecclesia Catholica? seu de natura Ecclesiae visibilis magis intime consideratae.

Fontes sunt ii omnes, qui adhibentur in tractatu dogmatico, ante omnia autem documenta Magisterii Ecclesiae. Etenim cum Christus dederit Sacro Magisterio depositum fidei custodiendum et explicandum; ipsa autem constitutio Ecclesiae pertineat ad fidei depositum; intimiorem et magis particularem cognitionem constitutionis Ecclesiae habemus unice e declarationibus ipsius Magisterii. Adversarii: protestantes, orientales separati, conciliaristae, regalistae, modernistae cet.

a) De R. Pontifice, Christi Vicario, eiusque Primatu.

1° De potestate iurisdictionis episcopalis in universam Ecclesiam; directa et indirecta.

2° De magisterio ordinario et extraordinario R. P. eiusque infallibilitate.

3° De potestate R. P. relate ad sacramenta eorumque administrationem.

4° De potestate iurisdictionali et magisteriali R. P. participata ab organis supra-episcopalibus sive pro tota Ecclesia (Congreg. Rom.) sive pro provinciis ecclesiasticis (Patriarchae cet.).

5° De eadem potestate participata ab exemptis.

6° De habitudine potestatum R. P. prout est Primas, patriarcha Ecclesiae Occidentalis, metropolita Italiae, episcopus Urbis, dominus temporalis.

b) De Collegio Episcoporum.

1° De magisterio ordinario episcopatus collective sumpti in unione cum R. Pontifice.

2° De magisterio et regimine extraordinario episcopatus, in Concilio generali uniti, eiusque habitudine ad R. Pontificem.

3° De conciliis particularibus eorumque relatione ad R. Pontificem.

c) De singulis Episcopis.

1° De magisterio et regimine Episcopi eiusque relatione in fieri et in esse ad Christum et R. Pontificem.

2° De coadiutoribus minoribus Episcoporum.

3° De provinciis ecclesiasticis.

d) De missionibus.

1° De modo quo in Ecclesia continuatur munus apostolicum fundendi novas Ecclesias in regionibus, ubi nondum erecta est hierarchia ecclesiastica.

2° De subiecto, cui competit ius mittendi praedicatores.

3° De vicariis et praefectis apostolicis, eorumque relatione in fieri et in esse ad Christum et R. Pontificem.

4° De coadiutoribus minoribus vicariorum et praefectorum, tam clericis quam laicis (catechistae).

e) De charismatibus miraculosis in Ecclesia: de habitudine Ecclesiae ad miracula, sanationes, visiones, apparitiones. De canonizatione Sanctorum.

f) De ordinibus et congregationibus religiosis, activis, contemplativis, mixtis, earumque relatione ad Hierarchiam.

g) De matrimonio iunctis in Ecclesia, eorumque iure et obligatione ad educationem prolis Christianam.

h) De laicis vocatis ad apostolatum religiosum socialem auxiliarem, in complementum vel etiam in supplementum apostolatus Hierarchiae.

III. Ecclesia Regnum Spiritus Sancti

Tractatus de Ecclesia visibili, prout organice a Spiritu Christi vivificata et cum Christo Capite unita, seu de Corpore Christi qua Mystico. Sicut Christus missus est a Patre, sic Christus mittit Spiritum suum in Ecclesiam, a se visibiliter organizatam, eamque per Spiritum suum unificat, vivificat, fructificat. Fontes: S. Scriptura, documenta Ecclesiae, Patres et doctores. Adversarii: protestantes, qui separant Ecclesiam visibilem a Corpore Christi, et quoad quaedam puncta Orientales separati; deinde schola liberalis, religionum historiae addicta.

a) Mysterium Ecclesiae proponitur sub variis imaginibus; corporis Christi; sponsi et sponsae; vitis et palmitum; templi spiritualis; panis pneumatici cet.

b) Quamquam vox Corporis Mystici adhibetur variis significationibus, tamen sensu stricto est Ecclesia visibilis ut organismus et quidem interne a Spiritu Christi vivificatus. Visibilitas intrat in mysterium Ecclesiae, sicut intrat in mysterium Christi incarnati.

c) Caput Corporis Mystici est Christus secundum utramque naturam, et quidem variis ex titulis. Modo peculiari dicitur Caput, quatenus virtute sua in Ecclesiae corpus influit: invisibiliter quoad vivificationem internam, visibiliter in Vicario suo quoad regimen externum. Est influxus Christi multiplex. Gratia capitis latius manet quam gratia Christi sanctificans.

d) Anima Corporis Mystici non est fides, neque gratia sanctificans, neque complexus gratiarum et donorum et charismatum Spiritus Sancti, sed potius ipse Spiritus Sanctus, prout est Spiritus Christi et fons omnium donorum. Accedit quaestio de forma duplici.

e) Corpus Christi est organismus: ergo habet organa varia hierarchica et non hierarchica ad aedificationem et augmentum totius corporis, quae variis modis operantur propter varia dona et charismata Spiritus secundum mensuram donationis Christi (hierarchici, charismatici, religiosi, matrimonio iuncti, actio catholica).

f) Corpus Christi habet varia membra, vividius vel remissius per Spiritum Christi cum Christo Capite unita secundum gradum sanitatis supernaturalis. Quaestio de membris solvi nequit nisi prae oculis habita Ecclesia, cum ut

est organizatio iuridica, tum ut est organismus pneumaticus. Principium esse debet: cum Ecclesia visibilis et Corpus Mysticum non distinguantur materialiter, sed unice secundum duplicem aspectum formalem, nemo potest esse membrum Corporis Mystici, qui nullo modo pertinet ad Ecclesiam visibilem, nemo membrum Ecclesiae visibilis, qui nullo modo subest influxui Spiritus. Aliud autem est esse membrum Ecclesiae, aliud ordinari ad Ecclesiam, sive iuridice sive mystice.

g) Membra incorporantur in Corpus Mysticum per fidem et Baptismum, quo redemptio obiectiva subiective applicatur. Ut unio membrorum incorporatorum perseveret et augeatur, singulari modo iuvat Sacramentum Eucharistiae. Charactere baptismali et chresimali membra speciali modo fiunt membra Christi Sacerdotis.

h) Variis donis, charismatibus, gratiis, sigillis Spiritus Christi efficit, ut Christus in Ecclesia sua eiusque organis et membris continuetur secundum varia ipsius munera et officia et qualitates, atque hac ratione quoad omnia in omnibus adimpleatur. Sic Ecclesia fit pleroma Christi et cum Capite Christo efformat unam personam mysticam. Inde quaedam communicatio idiomatum, prout Christus vel Ecclesia loquitur in persona corporis vel in persona Capitis.

i) Unio Corporis Mystici, utpote organizationis socialis et iuridicae fidelium, vivificatae a Christo per Spiritum suum in effusione variorum donorum gratiarum et charismatum, multiplices habet causas et aspectus; non est tantum moralis sed etiam physica, licet in ordine accidentali.

k) Ex consideratione pneumatica Ecclesiae exoriuntur quaedam qualitates Ecclesiae, quae non habentur ex consideratione iuridica, scilicet eam esse pneumaticam, pleroma Christi, theandram et sacerdotalem. Aliae autem qualitates et proprietates Ecclesiae ex mystica consideratione profundiorem accipiunt sensum: scilicet unitas, sanctitas catholicitas, apostolicitas, immutabilitas, indefectibilitas, necessitas, immo etiam ipsa visibilitas.

l) Ecclesia non solum est Corpus mysticum Christi, sed etiam Christus mysticus. Sicut vox *Corpus Christi mysticum* duplici sensu sumi potest, vel ut oppositum Capiti, vel ut unum quid cum Capite suo: sic etiam *Christus mysticus* duplici sensu sumitur; vel ut *Christus totus* i. e. Chri-

stus physicus unitus membris suis mysticis; vel ut *alter Christus* in oppositione ad Christum physicum, i. e. ut Ecclesia Sponsa, quatenus ad imaginem Christi creata et a Christo per Spiritum Christi in esse sustentata, tamen Christo Sponso tamquam persona moralis opponitur.

m) Est Spiritus Christi, qui facit Ecclesiam perpetuum motivum credibilitatis.

Conclusio Tractatus

a) De stadiis successivis, quibus oritur Ecclesia secundum aspectum suum totalem: socialem et pneumaticum: Incarnatio — praedicatio Christi — Crux et passio — confirmatio a Christo redivivo — intercessio sacerdotalis et potestas regia ad dexteram Patris — Pentecostes — praedicatio apostolica. In stadiis istis omnibus apparet cooperatio quaedam B. M. Virginis cum Christo. Beata Virgo est Cor Ecclesiae. Ad imaginem B. M. Virginis Ecclesia est virgo, sponsa, et mater Christi.

b) De causis Ecclesiae: materiali, formali, exemplari, efficienti, finali, quibus omnibus refertur Ecclesia ad SS. Trinitatem.

c) De relatione singulorum membrorum Ecclesiae et Ecclesiae totius ad singulas personas Sanctissimae Trinitatis: « In Spiritu per Filium ad Patrem ».

SECTIO ALTERA

De Imaginibus parallelis imagini Corporis Christi Mystici

Mysterium Ecclesiae consistere in quadam unione hominum cum Christo per Spiritum Sanctum, qua opus redemptivum Salvatoris perenne fiat, res nota est. Agitur autem de mysterio stricte dicto, de quo ipse Christus locutus est sine ulla imagine verbis aeque simplicibus ac profundis, in oratione sua sacerdotali (*Ioh.* 17, 1-26), cuius sensum ecclesiologicum explicavi in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 489-527.

Cum autem agatur de mysterio stricte dicto, mirum non est illud nobis etiam esse revelatum in Scriptura Sacra sub variis imaginibus, ut saltem haberemus, pie sedulo et sobrie quaerentes, aliquam Deo dante eius intellegentiam eamque fructuosissimam. Omnium notissima est imago Corporis Christi, immo Christi ipsius, ut postea videbimus. Accedunt aliae, quae in traditione ecclesiastica variis modis applicatae et evolutae sunt. Sunt autem: Sponsi et Sponsae; Templi spiritualis; Vitis et Palmitum; Panis pneumatici. De quibus singulis, ut melius intellegamus allegoriam Corporis Christi, breviter erit quaestio.

CAPUT PRIMUM

Sponsus et Sponsa

Utilissima est consideratio allegoriae Sponsae et Sponsi, quia in ea tota ecclesiologia quodammodo continetur.

In Sacra Scriptura ipse Christus missionem suam comparat nuptiis *Mt.* 25, 1-13, collato *Luc.* 12, 35-36 et *Mt.* 22, 2-14, collato *Lc.* 14, 16-24.

Ipsa Christi praedicatio cum a Ioanne Baptista, tum ab ipso Domino exhibetur ut tempus sponsalium, cf. *Ioh.* 3, 29, *Mt.* 9, 15, *Mc.* 2, 19, *Luc.* 5, 34. Nuptiis autem factis, sponsus quodammodo a sponsa auferetur.

Christus morte sua se tradit pro sponsa eamque sanctificat, ut fiat sancta et immaculata, *Eph.* 5, 25-28, eam sanguine suo acquirit, *Act. Ap.* 20, 28.

Christus sponsam, quam sanguine suo acquirit, nutrit et fovet, atque cum ipsa constituit carnem unam, *Eph.* 5, 29-31.

Perfectio unionis sponsalis habetur in caelis, *Apoc.* 21, 2-9, et 22, 17.

Accedunt 1 *Cor.* 4, 16, *Gal.* 4, 19, *Phil.* 10 et 1 *Petr.* 2, 2, ex quibus apparet, hierarchiam habere quaedam cum Christo Sponso communia, et ubi iam praeluditur ad imaginem mox oriundam: « piae matris Ecclesiae », quae forsitan iam adest in 2 *Ioh.* 1, ubi Presbyteros salutem offert « Electae dominae et natis eius ».

Tandem addendum est Canticum Canticorum cum multis aliis V. T. testimoniis, ubi secundum traditionem Ecclesiasticam praefiguratur relatio sponsalis Christi atque Ecclesiae.

Quodsi consideramus traditionem ecclesiasticam, iam ea quae in Scripturis habentur, variis modis videmus elaborata atque amplificata.

1. Ante omnia ipsa incarnatio Verbi consideratur ut unio sponsalis inter naturam divinam et humanam. Res notissima est, cuius fundamentum scripturisticum haud raro quaeritur in verbis *Psalm.* 18, 6: « Tamquam sponsus procedens de thalamo suo ». Breviter mysterium sic enuntiatur ab Augustino *Enarr. in Ps.* 44, 3: *ML* 36 col. 495 collato *In Ps.* 18, II, 6 col. 161: « Coniunctio nuptialis, Verbum et Caro: huius coniunctionis thalamus Virginis uterus est. Etenim caro ipsa Verbo est coniuncta: unde etiam dicitur (*Mt.* 19, 5 et *Eph.* 5, 31): Iam non duo, sed una caro ». Deficit autem imago ex duplici ratione. Nam unio hypostatica non est inter personas, sed naturas, nec adest ulla utriusque partis conformitas. Hac de causa iam S. Gregorius Magnus, *Hom. in Evang. II* hom. 38, 3: *ML* 76 col. 1283: « Tunc Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando Hunc in utero

Virginis humanae naturae coniunxit... Sed quia ex duabus *personis* fieri solet ista coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut personam Dei et Redemptoris nostri Iesu Christi ex duabus personis credamus unitam... Apertius ergo atque securius dici potest, quia in hoc Pater regi Filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit ». Idem S. Thomas 4 *Dist.* 49, q. 4, a. 3, collato *S. Th.* III suppl. q. 95, a. 3, ad 2 et 3. Sunt autem multae rationes, eaeque pulcherrimae, cur allegoria sponsi et sponsae, ad incarnationem applicata, retineatur. Quas explicat S. Robertus Bellarminus in *Comm. S. Theol.* III praef. cap. 4, Mscr. P. U. G. 381 D. fol. 2v-3r: « Possumus intelligere (in nuptiis Filii) sponsum esse Verbum, sponsam vero humanam naturam. Et hoc matrimonium in die incarnationis contractum et consummatum est. Porro aptissime incarnatio comparatur nuptiis. Nam primo nuptias praecedit desponsatio per verba de futuro. Sic Deus saepe promisit antiquis patribus incarnationem. Secundo in nuptiis requiritur consensus utriusque partis. Sic in hoc mysterio angelus Gabriel attulit consensum Dei et Virgo Maria consensum praebuit nomine humanae naturae. Tertio per nuptias sunt duo in carne una, vel potius una caro. Sic per incarnationem duae naturae in unam personam conveniunt. Quarto nuptiale vinculum est insolubile, et incarnationis unio ne per mortem quidem solvi potuit. Quinto ex nuptiis consequitur affinitas inter consanguineos sponsi et sponsae, et per incarnationem sumus omnes filii et fratres Dei effecti. Sexto per nuptias communicatur sponsae insigne, honores et tituli sponsi et contra. Idem hoc factum est per communicationem idiomatum. Septimo finis nuptiarum proprius est duplex, propagatio sobolis et remedium contra peccatum. Uterque in incarnatione reperitur. Nam quotquot filii Dei per gratiam efficiuntur, omnes sunt fructus huius matrimonii; et Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, 1 *Tim.* 1, 15. Denique praeter fines illos nuptiis proprios, ad alios quattuor fines nuptiae ordinari solent. Vel qui matrimonio iungitur, id facit, ut pax inter duas familias concilietur; vel ne aliqua illustris familia sine herede relicta exstinguatur; vel ut opes magnas, quarum sponsus vel sponsa est haeres, acquirat; vel demum propter amorem, quo sponsae tenetur vel sponsi. Omnia ista in incarnatione inveniuntur. Nam per eam facta est pax inter coelum et terram. Item

provisum est ne familia generis humani extingueretur. Praeterea sponsa hereditatem sponsi, quae est regnum coelorum consecuta est, et sponsus forma sponsae delectatus est: Concupivit rex speciem tuam, *Psalm.* 44, 12 ».

2. Alia consideratio, ut iam patet ex verbis laudatis S. Gregorii, in eo est, quod in ipsa incarnatione initur quaedam unio sponsalis inter Verbum incarnatum et ceteros homines. Quae consideratio duplex est, prout unio Christi perficitur vel cum toto genere humano, vel cum fidelium Ecclesia.

Prior concipiendi modus exprimitur a Leone XIII *Octobri mense* 22 Sept. 1892: *ASS* 24, 195; *D* 1940[a], olim 3033: « Filius Dei aeternus, cum ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset conubium, non id ante perfecit, quam liberrima consensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat ». Doctrina haec fundatur in traditione vetustissima. Continetur in famosa doctrina anakephalaiosis Irenaei, qua Christus, homo factus ex plasmate Adae, quodammodo totum genus humanum in se recapitulat. Indicatur etiam a S. Hilario, quando *In Matth.* 6, 1: *ML* 9 col. 951, incarnationem non, ut frequentius facit (cf. v. g. *Prolog. in Psalm.* 5 et 6), corporationem, sed concorporationem nuncupat[1]. Alio modo rem exprimit S. Athanasius *De Incarn. Verbi* 8-9: *MG* 25 col. 109 sq., ubi docet Christum incarnando corpus accepisse corpori nostro haud dissimile, ideoque per corporis similitudinem omnibus fuisse coniunctum et ita in hominibus quasi per unum corpus habitasse; haud aliter ac imperator qui habitans in urbis palatio eo ipso curam omnium domorum civitatis habeat. Magis succincte Nyssenus, *Contra Eunom.* II: *MG* 45 pag. 533: « Fit homo... cui per assumptas a nobis primitias tota massa virtute contemperata est ». Card. Franzelin *De Verbo Incarnato* thes. 46 pag. 496 affirmat ad mentem Nysseni in singu-

[1] S. Augustinus, *Enarr. in Ps.* 26, II, 2: *ML* 36 col. 200, loquitur de concorporatione vi crucis. — S. Leo M., *Serm.* 73, 4: *ML* 54 pag. 396 de nobis in coelo, concorporatis Dei Filio, ad dexteram Patris consedentibus. Vide etiam Tertull., *De Pudic.* 5 et 15: *ML* 2 col. 988 et 1009.

lari natura, physice unita Verbo, naturam humanam universam virtualiter et in archetypo fuisse Deo coniunctam.

Si intimius quaeris, quaenam sint rationes, cur iam in incarnatione — id est abstractione facta ab unione illa per Spiritum Christi, quae nonnisi virtute redemptionis in cruce consummatae haberi potest — genus humanum Christo sit copulatum, e mente Patrum haec respondenda videntur:

1° Ratione communis naturae et consanguineitatis. De hac unione vide *S. Th.* I, q. 60, a. 4. Ex ea oritur inclinatio vehemens amoris naturalis, quo quis alios diligit, praecise in quantum sunt unum sibi, teste ibidem Angelico.

2° Ratione supereminentiae. Nulla enim est perfectio humana sive in ordine naturali sive supernaturali, quae non modo sublimiori habeatur in Christo. Quod valet imprimis re considerata in signo priori ad sacrificium Crucis. Ex tota enim massa Adae, unice Christus plasma incorruptum habet vi sui. Quare, ut bene observat S. Cyrillus Alexandrinus *In Ioh.* 1, 2: *MG* 73 col. 69-72, Salvator sese praemisso articulo vocat τὸν Υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, velut electum e millibus se ipsum significans.

3° Ratione iuridica vicaria. Eo ipso, quod Christus incarnatur e sanguine nostro, et etiam ut homo omnes alios supereminet modo prorsus singulari, novus Adam totius generis constituitur. Hac de causa unicus, qui coram Deo propria virtute digne genus humanum repraesentare possit, et officio fungi mediatoris inter Deum et homines, est homo Christus Iesus.

4° Ratione causalitatis exemplaris. Est Christus archetypus totius humanitatis restaurandae, et qua talis omnes in se continet, cf. *Rom.* 8, 29 et 1 *Cor.* 15, 49.

5° Ratione finalitatis. Christus enim est, ad cuius gloriam diriguntur creaturae omnes, cf. *Eph.* 1, 21, *Philipp.* 2, 8-10, *Hebr. cap.* 1-2, ut per ipsum et cum ipso et in ipso sit Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria, teste pia Matre Ecclesia. Finis autem sese habet ad media ut ratio formalis ad obiectum.

6° Ratione vitae nostrae virtualiter in Christo absconditae. Cf. *Ioh.* 15. Tota vita supernaturalis omnium hominum in Christo ut in fonte includitur, ut pulchre explicat Pius X *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904, *ASS* 36 pag. 453. Quo fonte aperto Christus fit novissimus Adam in Spiritum vivificantem, 1 *Cor.* 15, 45.

7° Ratione cognitionis amorevolae. Christus enim inde ab incarnatione gaudet visione beatifica. Incarnatur autem, ut omnes homines salvos faciat, et hac de re incarnatus omnes sibi praesentes habens cum omnibus ipsorum actionibus, omnes amplectitur amore salvifico, de quo 1 *Tim.* 2, 4; *Gal.* 2, 20; *Eph.* 5, 2; *Hebr.* 10, 9-10 collato *Eph.* 2, 4-10, alia. Vide Leonis XIII *Octobri mense,* 22 Sept. 1891: *ASS* 24 pag. 195, ubi de oratione prolixiori in horto: « Neque sibi profecto id fecit, nihil timenti, nihil egenti, Deo; sed fecit nobis, fecit Ecclesiae suae, cuius futuras preces et lacrimas iam tum libens volensque in se recipiens fecundas gratiae efficiebat»; Pii XI, *Miserentissimus Redemptor* 8 Maii 1928: *AAS* 20 pag. 174, ubi de eodem horti mysterio, et solatio ibi a Christo accepto ex praevisis nostris actibus reparationis; Pii XII *Mystici Corporis,* 29 Junii 1943: *AAS* 35, pag. 229-230, ubi de amantissima cognitione, qua divinus Redemptor a primo Incarnationis suae momento nos prosecutus est.

8° Addi posset speculatio quaedam Platonica, quae a mente quorundam Patrum videtur fuisse non aliena. Haud aliter enim ac in ideologia Platonis nil boni et veri in ordine naturali exsistere potest, quin participet ipsius boni et veri ideam subsistentem, sic in ordine caelesti nemo vivere potest vitam vere caelestem in veritate et bonitate, nisi particeps fiat hominis caelestis, qui est veritas et vita, *Ioh.* 14, 6, et pro nobis factus est sapientia et iustitia 1 *Cor.* 1, 30.

Hae rationes sunt, cur iam in incarnatione tota humanitas quodammodo cum Christo incarnato coniuncta censeatur. Uberiorem explicationem e Patrum mente praestat *Gregorianum* 13 (1932) pag. 507-513. Postea plura, ubi de imagine Corporis.

Iam ad alium modum concipiendi accedamus, quam interrogando proponit Origenes *In Cant.* III, 16: *MG* 13 col. 148: « Considera sane, ne forte possit illud corpus, quod assumpsit Iesus commune Ei cum sponsa, cubile nominari, quoniam quidem videtur per illud Ecclesia Christo esse sociata et participium Verbi Dei capere potuisse ». Merito sane. Nam si Christus sibi ut sponsam copulat totum genus humanum, eo magis Ecclesiam credentium in Ipsum. Dicit enim Apostolus 1 *Tim.* 4, 10 Christum esse Salvatorem omnium hominum, maxime fidelium. Hac de re omnes rationes

allatae pro unione sponsali Christi cum toto humano genere, modo specialissimo valent pro credentibus. Idea haec, quae iam insinuatur ab Irenaeo, *Adv. Haer.* IV 33, 4 et 11: *MG* 7 col. 1074 et 1080, ut bene explicat P. Galtier, *La vierge, qui nous régénère* in *Rech. de Sc. rel.* 5 (1914) pag. 136-145; et iam claris verbis explicatur a S. Methodio, *De sanguisugo* 8, ed. Berol. pag. 486: eadem idea a Pio X *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904, *ASS* 36 (1903-1904) pag. 543 sic enuntiatur: « In uno eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit et spirituale corpus sibi adiunxit, in iis nempe coagmentatum, qui credituri erant in eo. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris ». Provocat igitur Pius X maxime ad rationem influxus vitalis. Quod idem fecit S. Hilarius, *Tract. in Psalm*, 51, 16: *ML* 9, col. 317, ubi imprimis attendens ad fideles scribit: « Natus ex Virgine Dei Filius... naturam in se universae carnis assumpsit, per quam effectus vera vitis, genus in se universae propaginis tenet ». Sub imagine sponsi et sponsae, sicut et Origines *l. l.*, rem proponunt idem S. Hilarius et S. Augustinus. Sic Hilarius *In Psalm.* 127, 8: *ML* 9 col. 708: « Dominus secundum Evangelia sponsus est... Per hanc sermonis consuetudinem docemur eum esse, ... cui a Patre Ecclesiae haereditas per adoptionem corporis, quod ex Virgine praesumpturus esset, desponsa sit ». Et Augustinus *In Ioh.* tract. VII, cap. 2, 4: *ML* 35 col. 1452: « Dominus autem securus moriens dedit sanguinem suum pro ea quam resurgens haberet, quam sibi iam coniunxerat in utero Virginis. Verbum enim Sponsus et sponsa caro humana... Ubi factus est caput Ecclesiae, ille uterus Virginis Mariae thalamus eius ». Vide etiam *In epist. Ioh.* 1, 2: *ML* 35 col. 1979 et *Quaest. Evang.* 1, 31: *ML* 35 col. 1329.

Notandum est in incarnatione non tantum haberi unionem aliquam cum fidelibus, qui credentium Ecclesiam constituunt, sed etiam cum eadem, prout est societas a Christo instituta. Nam haud aliter ac in incarnatione ponitur fundamentum materiale Corporis Mystici, quod est similitudo Capitis et Corporis in eadem visibili natura, haud aliter etiam fundamentum spirituale illius Corporis ut organismi. In incarnatione enim Christus assumit corpus sacrosanctum de B. M. V., *ut* sit Caput Ecclesiae (cf. August., *Enarr. in Psalm.* 44, 3: *ML* 36 col. 495 et S. Bed. Ven., *In 1 Reg.* 12:

ML 91 col. 722), cum omnibus donis et charismatibus, Ecclesiae ad fidelium gubernationem atque sanctificationem per Spiritus Christi effusionem communicandis. In ipsa quoque incarnatione Christus ungitur Propheta, Rex, Sacerdos, ita ut S. Augustinus, *Serm.* 25, 7: *ML* 46 col. 937 virginem Mariam beatam dicat, cum magistrum in utero portaret; Andreas Kret., *De Nat. B. V.*: *MG* 97 col. 878-879 Christum consideret in uterum B. M. V. ingredientem, ut munus suum sacerdotale ibi perficiat pro universis; S. Leo (?), *Serm. ined.* 6, 1: *ML* 56 col. 1141 de utero B. M. Virginis exclamet: « O templum, in quo Deus factus est sacerdos »; et Ven. Beda, *l. l.* Christum dicat suscepisse de B. M. V. corpus pacifici Regis. Horum autem munerum Messianicorum Ecclesia visibilis nil aliud est nisi vera et iuridica ex divina missione continuatio et prolongatio. In Christo igitur Rege et Sacerdote iam adest Regnum illud sacerdotale, quod in Christi vicariis visibiliter manebit perenne. Accedit, quod in Christo incarnato Ecclesia quiescit ut in archetypo: non tantum propter tria munera messianica, sed haud minus quia Ecclesia ut theandra et catholica formatur ad imaginem Sponsi theandri et prae omnibus catholici, quia incarnando omnes ad se vocat, quorum naturam assumpsit. Cf. *Gregorianum* 13 (1932) pag. 520-521. Iure igitur merito S. Leo dicit *Serm.* 26, 2: *ML* 54 pag. 213, generationem Christi originem esse populi Christiani, natalemque Capitis esse natalem corporis. Nec minus recte S. Hilarius *In Psalm.* 131, 13: *ML* 9 col. 736 existimat initium Ecclesiae in Bethlehem esse auditum; S. Ephraem *Hymn. in Nat.* IV, 16: *Lamy* II pag. 480 sinum Ecclesiae esse dilatationem parvi illius sinus Bethlehemi; S. Paulinus Nolanus, *Epist.* 31, 3: *ML* 61 col. 326 Bethlehem haberi radicem et fundamentum Ecclesiae.

3. Tertia unionis sponsalis consideratio refertur ad tempus praedicationis Domini, quo Christi Ecclesia iuridice est constituta, mox sanguine eius consecranda.

Dicit Origenes *In Cant.* 3, 10: *MG* 13 col. 183 Christum, initurum coniungium et societatem cum Ecclesia, fuisse tentatum a diabolo. Etiam ad mentem Chrysostomi *In Ioh. hom.* 29, 3: *MG* 59 col. 170 collato 18, 1 col. 115, et Bed., *In Ioh.* 3: *ML* 92 pag. 675, praedicatio Evangelii intellegi potest ut nymphagogia quaedam per vocem et doctrinam;

ad mentem S. Hieronymi, cui assentit S. Beda *In Marc.* cap. 2, *In Luc.* cap. 5, *In Matth.* cap. 9: *ML* 92 col. 151, 390, 47, ut connubium, ex quo exoritur missio apostolica. Dicit enim S. Hieronymus *In Matth.* 9, 15: *ML* 26 col. 58: « Sponsus Christus: sponsa Ecclesia est. De hoc sancto spiritualique connubio apostoli sunt procreati ». Vide etiam S. Ephraem, *In 1 Reg.*: ed Vatic. I pag. 466. Differt autem Patrum allegorizatio, prout sponsam quae a Domino ducitur, indicant vel genus humanum, vel synagogam vel gentium congregationem. Sanctus Cyrillus Alex. *In Ioh. lib.* II cap. 3, 29: *MG* 73 col. 264 sponsam nuncupat totam humanitatem, quae institutione baptismatis ad Christum adducitur. S. Hilarius *In Psalm.* 77, 7: *ML* 9 col. 446-447 et *In Psalm.* 131, 24: *ML* 9 col. 742 collato *In Matth.* 9, 3: *ML* 9 col. 963 sponsam dicit synagogam, quae primo marito i. e. V. Testamento mortuo (quod factum est morte Ioannis Baptistae, quousque perdurabant Lex et Prophetae), se Christo adsociat. Eodem modo S. Ambrosius *In Luc.* III, 38: *ML* 15 col. 1605 et S. Basilius *In Isaiam* I, 42: *MG* 30 col. 200, dum S. Petrus Chrysologus *Serm.* 165: *ML* 52 col. 632-633 relationem Synagogae ad Ecclesiam ut socrus ad nurum, Christo sponsatam, considerat; de qua relatione alio modo S. Hieronymus *Epist.* 74, 4: *ML* 22 col. 683. Saepe saepius autem sponsa, a Christo conducta, intellegitur Ecclesia gentium, quae fornicata in multis nuptiis, scilicet in polytheismo, ad virginitatem immaculatae fidei reducitur, atque Salvatori in sponsam unitur. Quae si bene prae oculis habentur, scandalo esse nequit imaginem Ecclesiae, sponsae Domini, non solum in feminis castis, sed etiam in peccatricibus Novi et Veteris Testamenti a Patribus inveniri. Sic Ecclesiae typi sunt: Sara sterilis ex repromissione facta mater multorum, cf. Chrysostomus, *In Gal.* 4, 3 et 4: *MG* 61, col. 662-663; Rebecca, cf. *Epist. Barnab.* 13, 3 et Cyrill. Alex., *Glaph. in Gen.* 4, 2: *MG* 69 col. 184; Rachel, cf. Iustin. *Dial. cum Tryph.* 133, 3; Iren. *Adv. Haer.* 4, 21, 3: *MG* 7 col. 1045-1046 et Cyrill. Alex., *l. l.* 5, 3: *MG* 69 col. 231-233; Iael, cf. Ephraem, *In Iud.* IV, 4: ed. ed. Vat. I pag. 311; Ruth, quae fit mater regum, cf. Chrysostomum, *In Matth.* hom. 3, 4: *MG* 57 col. 35-36; Aethiopissa, conducta a Moyse necnon uxor fornicationis, accepta ab Osee propheta, cf. Iren., *Adv. Haer.* 4, 20, 12: *MG* 7 col. 1042; Rahab, quae salvatur signo coccineo, id est cruce sanguinoso Christi, cf. Iren., *ibid.* et Theodoret.,

Quaest. in Iosue, interr. 2: *MG* 80 col. 462; Thamar sese uniens Iudae, cf. Hippolyt. *fr. in Gen.* 11-13: ed. Achelis, *CB* pag. 95-97; Bersabe, cf. Ambros., *In Luc.* III, 39: *ML* 15 col. 1605: Haemorrhoissa, cf. Ambros. et Bedam, *In Luc.* 8, 43: *ML* 15 col. 1682-1683 et 92 col. 441-443; Magdalena, cf. Petr. Chrysol., *Serm.* 95: *ML* 52 col. 468; Samaritana, cf. Iren., *Adv. Haer.* 3, 17, 2: *MG* 7 col. 929 et Hieronym., *Epist.* 74, 3: *ML* 22 col. 683.

Cum nymphagogia Christi pulchre S. Cyrill. Hier., *Catech.* 22, 2: *MG* 33 col. 1097-1100 combinat Eucharistiae institutionem: « Si enim ad nuptias corporales vocatus, stupendum miraculum Canae perfecit, nonne eum multo magis filiis thalami nuptialis corpum suum et sanguinem fruenda donasse confitebimur? ».

Si excipis Hieronymum et Bedam, allusionesque quasdam minoris momenti, iuridica institutio Ecclesiae in istis allegoriis Patribus non multum cordi erat. Leo vero XIII in Encycl. *Divinum illud*: *ASS* 29 (1896-1897) pag. 649 tempus praedicationis facit Ecclesiae conceptionem. Dicit enim: « Ecclesia quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami velut in cruce dormientis orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrimo Pentecostes ».

4. Verba praedicta Leonis nos transferunt ad imaginem celeberrimam Sponsae, cum Christo unitae in Cruce, ibique per modum novae Evae nascentis e latere Salvatoris, lancea perforato. Eadem idea exprimitur in Concilio Viennensi ubi « unica et immaculata ac virgo sancta mater Ecclesia, coniux Christi » de latere secundi Adae prodiisse dicitur, cf. *D* 480; canitur vero in liturgia festi SS. Cordis hisce versibus:

Ex Corde scisso Ecclesia
Christo iugata nascitur.

Evam protoparentem figurato sermone repraesentare Ecclesiam, doctrina est antiquissima, cf. Clement. 2 *ad Cor.* 14, 2 et Tertull., *De Anima* 43: *ML* 2 col. 723. Paulatim evolvitur, pervadens totam litteraturam ecclesiasticam. Logice deducitur ex *Ephes.* 5, 31-32. Quid sibi velit ista figura fusius explicavi in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 489-527, allatis multis testimoniis Patrum, quae facile possent duplicari. Paucis punctis rem breviter comprehendo.

a) Ab initio Deus creavit hominem masculum et feminam, *Gen.* 1, 27 et *Mt.* 19, 4, Christum et Ecclesiam, cf. Clement., 2 *ad Cor.* 14: *Text. et Doc.* S. Th. 1 pag. 8-9. Id est: inde ab aeterno Deus voluit hominum salutem per Christum et eius sponsam Ecclesiam. Vide etiam S. Hilar. *In Psalm.* 13, 4 et 15, 5: *ML* 9 col. 297 et 301-302, ubi docet nos ante constitutionem mundi in Christi Corpus esse electos.

b) Christus, cf. *Gen.* 2, 24 et *Mt.* 19, 5, relinquit Patrem, i. e. Patrem caelestem secundum *Philipp.* 2, 6-8, et Matrem, i. e. Hierosolymam caelestem vel matrem carnalem scil. Synagogam, ut uxori adhaereat, sive in incarnatione, sive in praedicatione, secundum explicationes, quas supra dedimus. Cf. verbi causa Origen. *In Matth.*, hom. 14, 17-19: *MG* 13 col. 1230-1236; Method. *Conv. X Virg.* 3, 8-10: *MG* 18 col. 72-78; Hieron., *In Eph.* cap. 5, 32: *ML* 26 col. 569; August., *De Gen. c. Man.* 2, 37: *ML* 34 col. 215-216; *Tract. in Ioh.* 9, 10: *ML* 35 col. 1463; Bedam, *Hexaem.* I: *ML* 91 col. 52.

c) In cruce Christus Ecclesiam sibi unitam habet ut costam spiritualem, cf. Ambros., *In Luc.* 2, 86: *ML* 15 col. 1584, id est: in cruce Ecclesia requiescit in Corde Christi, sicut Eva quodammodo erat in costa Adae. Quomodo autem Christus patiens sibi Ecclesiam unitam habere possit, clarum est ex antea expositis pag. 30 sq. et 32 sq. Ergo in Christo quiescit tota humanitas, Ecclesia fidelium, Ecclesia visibilis, nuper praedicationis tempore concepta. Pro Ecclesia sua Christus in cruce orat, non tantum pro genere humano, vel pro fidelibus futuris, sed etiam pro societate a se condita. Quod patet ex oratione sacerdotali, *Ioh.* 17, quae est quasi oratio sacrificalis concomitans oblationem crucis.

d) Oblatione corporis sui proprii, in quo Ecclesia spiritualiter continetur, Christus Ecclesiam suam sanctificat, quod tria includit:

1° Efficit, ut Pater caelestis deponat odium suum erga genus humanum, cf. 2 *Cor.* 5, 19, ita ut iam per Christum in Spiritu ad Patrem accedere possit.

2° Meretur, ut Spiritus, qui in semet ipso habitat, iam effundi possit in credituros propter Ecclesiae praedicationem: quo facto ipse Christus constituitur sensu plenario Caput Ecclesiae, quod est summa Christi glorificatio, cf. *Ioh.* 17 et *Hebr.* 2, 9.

3° Ut Ecclesia officio suo recte fungi possit, Spiri-

tum suum tamquam fontem omnium donorum et charismatum infundit in Ecclesiam a se constitutam, cf. *Ioh.* 17, 15-19.

e) Hac de causa Ecclesia, a Christo socialiter erecta praedicationis tempore accipit in cruce principium suum vitale supernaturale, et sic spiritualiter e latere Salvatoris, vel ut cum liturgia loquar, e Christi Corde nascitur.

f) Quia Spiritus Christi est, qui idem numero habitat in Christi humanitate, idem numero in Ecclesia cum abundantia donorum et charismatum, Christus et Ecclesia in eodem Spiritu, qui est amor datus Patris et Filii, copulantur unione sponsali et fiunt duo in carne una, *Gen.* 2, 24 et *Eph.* 5, 31.

g) Accipiendo Spiritum Christi, Ecclesia accipit semen divinum, quo possit procreare Christo filios, quos sibi incorporans baptismate, Christo quoque coniungit, et pane Eucharistico nutrit, ut eo artius inter se et cum Christo coniungantur. Quod mysterium manifestatur fluxu miraculoso aquae et sanguinis, quibus sacramenta, quae prae ceteris ad augmentum tum externum tum internum Corporis Mystici spectant, symbolice, immo potius realiter, repraesentantur et definitive sanciuntur; cf. *Ioh.* 19, 34.

h) Illa unio Christi et Ecclesiae est inseparabilis. Quod enim Deus coniunxit, homo non separet, *Mt.* 19, 6.

Unum addere liceat. Traditio Ecclesiae nascentis e latere Salvatoris, non solum magni momenti est ad profundius cognoscendum mysterium redemptionis, sed etiam ad melius intellegendam historiam illius dogmatis. Quamquam enim Patres in explicanda redemptionis doctrina, maiorem partem quam recentiores attribuere videntur incarnationi: tamen eorum doctrina, qua Ecclesiam in Cruce exortam praedicant e vulnere Redemptoris, clare indicat, etiam antiquos actum propriissimum redemptionis posuisse in Crucis opere sanguineo.

Notum est, Christum in Cruce meruisse Spiritus sui gratias non solum fidelibus Novi Testamenti, sed etiam Antiqui Foederis. Licet mirum videri possit, tamen et hoc mysterium sub allegoria unionis sponsalis propositum est. Docet enim S. Irenaeus cum Synagogam tum Ecclesiam, in Cruce Christo unitas, a Salvatore accepisse Spiritum, idque explicat in memoriam revocans historiam Lot et filiarum eius. Postquam enim Dominus potum sumpserat in Coena

Eucharistica — ita ad Irenaei mentem — recubuit in Cruce, ibique dormivit et somnum coepit, seseque univit plasmati suo, per semen divinum, qui est Spiritus Dei, sibi copulans duas synagogas, maiorem et minorem natu, ut ipsae ex Patre suo, qui Christus est, fructificarent filios vivos vivo Deo. Cf. Iren., *Adv. Haer.* 4, 31, 2: *MG* 7 col. 1069-1070, collato *Gen.* 19, 30-38.

5. Modo peculiari de ortu Ecclesiae in Cruce egit Pius XII in Encycl. *Mystici Corporis*: *AAS* 35, 1943, pag. 204-207. Rationes autem, cur Ecclesia tamquam nova Mater viventium e latere Christi morientis aedificata sit, hae indicantur: 1° Morte Christi lex evangelica cum omnibus suis institutis iam conditis vel postea integrandis, sancitur pro universo mundo, ideoque exoritur Ecclesia *catholica* ut talis; 2° Morte sua Christus ut homo fit pleno sensu Caput Ecclesiae *militantis*, tum quoad ius (datur enim in Cruce novus titulus), tum maxime quoad exercitium iuris; 3° Morte Christi Spiritus Sanctus recedit a populo Israelis, ut tamquam principium omnium donorum, gratiarum et charismatum novi et aeterni Testamenti resideat in Ecclesia catholica in Cruce sancita; 4° Morte Christi Ecclesia accipit, remoto obice, fontem continuo manantem immensurabilium gratiarum.

Non huius loci est, rem latius evolvere; id suo tempore faciam in libro *de Christo Capite;* conferri interim possunt ea quae scripsi in editione Encyclicae quam feci anno 1943 in *Textus et Documenta*, ser. theolog. n. 26 et in *Periodica* 32, 4 (1943) pag. 386-391. Solummodo notare volo, quomodo doctrina a Pio XII proposita iam contineatur in documentis anterioribus pontificiis:

a) S. Hormisdas, *Epist.* 32: *ML* 63 col. 436: « Ecclesiae venerandum Corpus, quod propria Christus noster passione fundavit ».

b) S. Leo Magn., *Serm.* 68, 3: *ML* 54 col. 374: « Adeo tunc (in Cruce vid.) a Lege ad Evangelium, a Synagoga ad Ecclesiam, a multis sacrificiis ad unam hostiam evidens facta est translatio, ut emittente spiritum Domino velum illud mysticum, quod templi penetralia sanctumque secretum suo intercludebat obiectu, a summo usque ad imum vi subita scinderetur ». *Epist.* 16, 6: *ML* 54 col. 701, et 59, 4: *ML* 54 col. 871: Christus (latere perforato) regenerationis po-

tentiam sanxit; Ecclesia ex latere Crucifixi sacramentum redemptionis et regenerationis accepit.

c) Nicolaus III, *Immensae Deus*, 15 Ian. 1278: *BR* IV, 40: « Cetera verbo creans, dixit et facta sunt; Ecclesiam vero non solum verbi expressione, sed et sui pretiosi sanguinis effusione fundavit ».

d) Bonifacius IX, *Ab origine mundi*, 7 oct. 1391: *BR* IV, 617: « (Instituto baptismate et coadunatis discipulis) sese hostiam immaculatam, consummato debito cursu, in ara Crucis morte cruenta obtulit Deo Patri, et militantem Ecclesiam suo pretioso sanguine fundavit, consecravit et aeternaliter stabilivit. Tandem vero de mundo transiturus ad Patrem, Principi Apostolorum, caelesti clavigero..., specialem curam sui gregis et regimen universale commisit, pollicitus nihilominus Ecclesiam in aeternum se non deserturum eandem ».

e) Callistus III, *Summus Pontifex*, 1 Ian. 1456: *BR* V, 119: « Immaculatam sese hostiam (Christus) in aria Crucis morte quidem turpissima se obtulit Patri: suique pretiosissimi Sanguinis effusione, non auro, naturam redemit humanam, militantemque fundavit Ecclesiam, consecravit, et ne portis inferi aut mortis legibus subiaceret usque ad finem saeculi stabilivit ». Quid autem significet ista stabilitio Ecclesiae patet ex verbis mox sequentibus pag. 120: « Redemptor noster, qui Ecclesiam *super se* firmissime stabilivit ».

f) Pius II, *Triumphans Pastor*, 12 Apr. 1495: *BR* V, 151: « Sancta vero et immaculata Ecclesia, quam Pastor ipse, adveniente temporis plenitudine, eius Unigeniti gloriosissimi aspersione sanguinis, fundari, consecrari et aeternaliter stabiliri censuit ». Quid sibi velint ista verba, docetur *In minoribus agentes*, 26 Apr. 1463: *BR* V. 178 § 10: « Cumque pius et maximus et optimus Deus in suo sanguine fundaverit Ecclesiam, eamque voluerit ad finem usque saeculi perdurare, quis non dixerit in ea id regimen institutum esse, quod optimum censetur... Christus Iesus, cum pro nostra salute venisset in hunc mundum, servili forma accepta, Ecclesiam de qua loquimur, in Cruce patiens, suo sanguine acquisivit, et in ea usque ad diem ascensionis corporaliter praesedit, et tamquam dux verus et imperator cuncta in finem suum direxit. Et cum ascendisset in caelum, eum indubitanter sui gregis pastorem reliquit, cui dixerat:

Pasce oves meas, et: Tibi dabo claves regni caelorum. Grex Christi Ecclesia est. Pastor primus ipse Christus fuit, et pastor bonus, qui posuit animam pro ovibus suis; secundus pastor Petrus exstitit ».

g) Innocentius XI, *Triumphans Pastor,* 3 Oct. 1678: *BR* XIX, 112: « Immaculata, quam Pastor ipse, adveniente temporis plenitudine, eius Unigeniti gloriosissimi aspersione sanguinis fundari, consecrari et aeternaliter stabiliri censuit, Ecclesia ».

h) Leo XIII, *Provida Matris,* 5 Maii 1895: *ASS* 27, 645 « Ecclesia, quae iam a Christo concepta, ipso moriente prodierat, tunc feliciter, quodam veluti afflatu divinitus accedente, suum coepit munus obire per gentes omnes » et *Divinum illud,* 9 Maii 1897: *ASS* 29, 649: « Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in Cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes ».

i) Pius X, *Iucunda sane,* 4 Mart. 1904: *ASS* 36, 517: « Ecclesia, eodem instructo robore, quo prodiit a transfosso Christi Corde in Cruce iam mortui », et decr. Congr. Rit. *In muliere forti*: *AAS* 2, 683: « Novi foederis Ecclesia e sacratissimo Christi latere et corde producta ».

k) Benedictus XV, *Cum divinus,* 27 Apr. 1916: *AAS* 8, 139: « Cum divinus Redemptor noster universae Ecclesiae, quam pretioso suo sanguine fundavit, primum Pontificem ac Rectorem beatum Petrum instituerit », et decr. Congr. Rit. *Sancta Mater,* 3 Apr. 1920: *AAS* 12, 168: « Ecclesia, quae felicem suum tunc sortita fuit natalem, quum Cruci affixus, divinus moriebatur eius Conditor... eidem Ecclesiae, vix e Christi latere egressae... ».

l) Pius XI in *liturgia festi SS. Cordis*: *AAS* 21, 1929, 45: « Ex corde scisso Ecclesia, Christo iugata, nascitur ». Cf. etiam 7 Iul. 1925: *AAS* 17, 366: « E Christi latere egressa, ac pretioso deinceps martyrum cruore omni tempore purpurata Ecclesia ».

Ex hisce documentis facile eruitur:

1° Non solum Novum Testamentum, sed etiam Ecclesia N. T. incipit in Cruce (Leo M.).

2° In Cruce nascitur Ecclesia militans (Bonifac. IX).

3° In Cruce oritur Ecclesia ut societas fidelium, quippe quae opponitur Synagogae, cui succedit (Leo M.); ut regimen perfectum, sub Christo duce (Pius II).

4° In Cruce definitive sanciuntur duo Sacramenta, quae sunt prae aliis sacramenta Corporis Mystici, baptismus et Eucharistia (Leo M.).

5° In Cruce Ecclesia fundatur, consecratur, aeternaliter stabilitur, sc. in Christo tamquam fundamento (Bonifacius IX, Callistus III, Pius II, Innocentius IX).

6° In Cruce modo speciali Christus fit dux supremus et fundamentum Ecclesiae, ergo modo speciali Caput (cf. n. 3 et 5).

7° Eo quod Ecclesia stabilitur in Cruce super Christum, fit indefectibilis (Callistus III).

8° In Cruce Ecclesia accipit suum robur vid. charismata Spiritus Sancti (Pius X collato n. 7).

9° Signum manifestum fundationis Ecclesiae in Cruce est scissio veli sanctuarii (Leo M.).

10° Clare distinguuntur fundatio Ecclesiae in Cruce et eius manifestatio publica in Pentecoste, quando incipit praedicatione apostolica universali fundatio singularum ecclesiarum (Leo XIII).

11° Christus ipse est, qui usque ad ascensionem visibiliter regit Ecclesiam suprema iurisdictione (Pius II coll. Bonif. IX).

12° S. Petrus non solum est Vicarius Christi, sed ratione regiminis visibilis etiam successor (Pius II).

Quando igitur in aliis documentis Ecclesia dicitur fundata, quando Petrus investitur primatu (lex ipsa Primatus sancita fuit *Mt.* 16, 18, cf. Leon. XIII, *Satis cognitum*: *ASS* 28, 726), non est quaestio de Ecclesia absolute considerata, sed de Ecclesia prout post Ascensionem sese manifestat, scil. ut Christi vicaria, ratione Vicarii Christi (conceptus theol. fundam.).

6. Ex nativitate Ecclesiae in Cruce, prout modo rem explicavimus, statim apparet, Ecclesiam morte Christi factam esse Matrem, piam matrem Ecclesiam, parentem fidelium, matrem viventium. Idea, Ecclesiam praecise qua matrem, in Cruce fuisse natam, speciali modo cara est Patribus latinis, ut patet ex testimoniis allatis in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 506-507.

Ecclesiam esse matrem nostram res antiquissima est in traditione, quae ut supra dixi in Scriptura haeret. Vide Herm. Past., *Vis.* 3, 9, 1; Iren., *Adv. Haer.* 3, 24, 1 et 5, 20, 2:

MG 7 col. 966 et 1178, necnon *Ad Mart.* apud Euseb., *H. E.* 5, 1, 45: *MG* 20 col. 425 et 427: Tertull., *De Praescript.* 42, *De Orat.* 2, *De Bapt.* 20, *Adv. Marc.* V, 4, *De anima* 43, *De Carne Christi* 7, *Ad Martyr.* 1; Clem. Alex., *Cohort. ad Gent.* 1: *MG* 8 col. 65-67 necnon *Paedag.* 1, 6 et 3, 12: *MG* 8 col. 300-307 et 677; S. Method., *Conv. X Virg.* 8, 11: *MG* 18 col. 154. S. Athanasius *In Psalm.* 86, 5: *MG* 27 col. 378 Ecclesiam supra Petrum aedificatam vocat matrem.

Prae ceteris quando Patribus sermo occurrit de Ecclesia Matre, videre est, quantopere Ecclesiam visibilem dilexerint. Clemens Alex., *Paedag.* 3, 12: *MG* 8 col. 677 vult, ut ad Ecclesiam quasi infantuli ad bonam matrem accurramus; Origen., *In Gen.* hom. 10, 1: *MG* 12 col. 215, ut semper sinus gaudium matris nostrae Ecclesiae; Euseb., *De fide adv. Sabell.* II: *MG* 24 col. 1069, ut conveniamus sub alas matris; S. Basilius *Epist.* 41, 1: *MG* 32 col. 345 Ecclesiam vocat omnium matrem et nutricem; S. Cyrillus saepius, cf. *In Isaiam* 54, 1-3; 60, 13-14; 63, 19: *MG* 70 col. 1195, 1337, 1396, matrem atque nutricem bonorum et sanctorum; S. Ioh. Chrysost., *Adv. Iud.* 1, 8 et 3, 5-6: *MG* 48 col. 856 et 869; *Catech. ad ill.* 1, 1: *MG* 49 col. 224: matrem et nutricem, matrem communem omnium. Quid in hac re scripserint S. Cyrill. Hieros., *Catech.* 18, 26-27: *MG* 33 col. 1048 et S. Cyprianus *De Unit. Eccl.* 5-6: *ML* 4 col. 502-503 notissima sunt. S. Augustinus in *Confess.* 1, 11, 17: *ML* 32 col. 669 grato animo recordatur « pietatis matris meae et matris omnium nostrum, Ecclesiae Tuae »; *Ibid.* 6, 4, 5 col. 722 commemorat Ecclesiam unicam, Corpus unici Filii Dei, in quo sibi nomen infantis Christi sit inditum; et in *Epist.* 243, 8: *ML* 33 col. 1057 quasi lyrice de Ecclesiae matris pietate cantat. Mirae dulcedinis sunt etiam illa *Serm.* Den. 25, 8: Misc. Agost. 1 pag. 163: « Vos quibus loquor, membra estis Christi! Quis vos peperit? Audio vocem cordis vestri: Mater Ecclesia! ». Cf. etiam *Serm.* 352, 9 et 359, 4: *ML* 39 col. 1559 et 1593, necnon S. Petr. Chrysol., *Serm.* 105: *ML* 52 col. 493 et praecipue pulchram descriptionem in *Serm.* 73 col. 408.

Rationes, cur Ecclesia, sponsa Christi, mater nostra dicatur, hae sunt:

a) Concipit semine spirituali. Semen est ad mentem Patrum vel virtus Christi seu Spiritus Sanctus, cf. Clem. Alex., *Cohort.* 1: *MG* 8 col. 65-67; Origen., *In Cantic.* prolog.: *MG* 13 col. 72; Pacian., *De Bapt.* 6: *ML* 13 col. 1093; Ambros.

In Luc. III, 38: *ML* 15 col. 1605; Leon. Magn., *Serm.* 63, 6: *ML* 54 col. 356, provocans ad *Ioh.* 1, 13; Paulin. Nol., *Poem.* 25 v. 170: *ML* 61 col. 637; vel semen verbi seu praedicationis, quod Ecclesia fide accipit a Christo, cf. Orig., *In Cant.* prol.: *l. l.*; Gregor. Nyss., *Orat. in Resurr. Christi* 1: *MG* 46 col. 604; Theodor., *In Cant.* I, 15-16: *MG* 81 col. 84-85; Bed. Ven., *In Luc.* 1, 2: *ML* 92 col. 330; vel utrumque simul, cf. Gregor. Magn., *Mor.* XIX, 12, 19: *ML* 76 col. 108 et Ambros., *In Luc.* III, 38: *ML* 15 col. 1605.

Difficilius explicatur, quid sint caelestia et spiritualia semina apud Optat., *De Schismate Donati* II, 10: *ML* 11 col. 963 quibus Deus (baptismate) fit Pater, sancta fit mater Ecclesia. Certe veluti semen etiam considerat professionem SS. Trinitatis.

b) Parturit filios baptismate quod est quasi uterus Ecclesiae; Cf. Chrysost., *Qual. duc. uxor.*, 3, 3: *MG* 51 col. 229; Optat., *loc. laud.*; Pacian., *De bapt.* 6: *ML* 13 col. 1093; August., *Epist.* 34, 3: *ML* 33 col. 132; Petr. Chrysol., *Serm.* 130: *ML* 52 col. 556-557, ubi explicans illud *Psalm.* 44, 17: « pro patribus nati sunt tibi filii » etiam consecrationem episcopi generationem patris ex Ecclesia matre vocat; Berengaud., *In Apocal.*, 12, 3-4: *ML* 17 col. 876. Pulchre S. Augustinus *Epist.* 342, 8: *ML* 33 col. 1057 dicit Ecclesiam matrem filios in sempiternam lucem peperisse.

c) Ex mammillis vel uberibus suis filios lacte nutrit. In hac imagine clare apparet triplex missio messianica Ecclesiae. Docent enim Patres:

1° Ecclesiam filios nutrire lacte fidei i. e. praedicatione caelestis doctrinae, cf. Iren., *Adv. Haer.*, 3, 24, 1 et 5, 20, 2: *MG* 7 col. 966 et 1178; Clem. Alex., *Paed.* 1, 6: *MG* 8 col. 303; Gregor. Nyss., *Or. in Resurr. Christi* 1: *MG* 46 col. 604; Gregor. Magn., *Moral.* XIX, 12, 19: *ML* 76 col. 108; August., *Epist.* 243, 8: *ML* 33 col. 1057; collatis 1 *Cor.* 3, 2 et 1 *Petr.* 2, 2.

2° Ecclesiam nutrire filios legibus, exhortationibus, eosque in sinu suo educare cf. Iren., *Adv. Haer.*, 5, 20, 2: *MG* 7 col. 1178; Gregor. Nyss., *l. l.* et Gregor. Magn. *l. l.*

3° Ecclesiam nutrire filios Sacramentis et in specie lacte eucharistico, cf. August., *Epist.* 34, 3: *ML* 33 col. 132; Clem. Alex., *Paedag.* 1, 6: *MG* 8 col. 300, 305, 307; Gregor. Nyss., *l. l.*; Chrysost., *Qual. duc. uxor.*, 3, 3: *MG* 51 col. 229.

4° Specialem rationem addit Gregor. Magn., *In Cant.*

7, 16: *ML* 79 col. 538, ubi explicat quomodo Sponsa Sponso praebeat ubera. Pauperes enim i. e. infima membra Christi nutrire, Christum lactare est.

d) Loquitur S. Augustinus *Epist.* 243, 8: *ML* 33 col. 1057 de filiis abortivis Ecclesiae, qui imprimis sunt haeretici.

Ex praedictis clare apparet amorem Christi erga Ecclesiam esse vere et proprie amorem sponsalem, id est amorem, qui primarie tendit in procreationem filiorum seu quod idem est in salvationem animarum, ad quam omnia charismata et dona Ecclesiae destinantur. Hac de causa si matrimonium mysterium magnum est in Christo et Ecclesia, *Eph.* 5, 32, apparet matrimonium, etiam qua sacramentum est, ut finem principaliorem habere procreationem et educationem Christianam prolis, et amorem mutuum coniugum in hunc finem dirigi. Amor matrimonialis suam perfectionem accipit per prolem: nam ut pulchre observat Chrysostomus *In Col.* 4, hom. 12, 5: *MG* 62 col. 387-388 propter congressum matrimonialem et prolem tres fiunt unum quoddam: vir mulier et infans, quo tamquam ponte sacrato parentes coniunguntur.

Considerationem diversam vide apud Origenem *In Proverb.* 17, 63: *MG* 17 col. 202: Patrem scilicet per Spiritum Ecclesiam sibi copulare et ex ea procreare filios. Inde: Pater Deus, Mater Ecclesia.

7. Quia Ecclesia est sponsa Christi, hac de causa a Sponso dotatur. Quando Patres loquuntur de dotibus, dotes intellegi possunt ut munera, quibus pater sponsam afficit, cf. 3 *Reg.* 9, 16 coll. *Gen.* 30, 20, vel etiam ut monilia, quibus sponsa in die nuptiarum a sponso ornatur, cf. *Is.* 61, 10 et *Cant.* 4, 8. Priori sensu S. Ephraem, *Hymn. de instaur. Eccl.* II 1-7: *Lamy* III, 966-968: « Ecclesia, sponsa Christi . . . : Pater sanguine Christi in cruce scripsit libellum dotis »; altero sensu S. Optatus, *De schism. Donat.* II, 2: *ML* 11 col. 946, ubi dotes vocat *ornamenta* Ecclesiae. Imprimis Optatus *loc. laud.* I, 10; II, 2; II, 5-10: *ML* 11, 900-903, 946, 958-964, contra Parmenianum Donatistam agens, fusius de dotibus loquitur. Ex dotibus Parmeniani quinque ab Optato agnoscuntur: cathedra, angelus, Spiritus, fons et sigillum seu annulus signatorius; una ab eo repudiatur: umbilicus. Putat Optatus dotes in S. Scriptura esse insinuatas: significatio autem dotum

in eius theoria non plane dilucida est. Sic forsan res breviter comprehendi potest. Cathedra, cf. *Nehem.* 2, 6; 3 *Reg.* 2, 19, coll. *Psalm.* 44, 10, est primatus Petri; Angelus, cf. *Apoc.* 2, 1; 2, 8; 2, 12; 2, 18; 3, 1 et *Ioh.* 5, 4, est Episcopus, qui consecrat aquam baptismalem; Spiritus est Spiritus adoptionis, cf. *Gal.* 4, 5 et *Rom.* 8, 15; fons, cf. *Cant.* 4, 15; *Ioel.* 3, 18; *Ioh.* 4, 14, baptismus salutaris, quo aperitur fons gratiarum; sigillum seu annulus signatorius, cf. *Cant.* 4, 12; *Dan.* 6, 17, et 14, 10 est symbolum fidei. Umbilicus, cf. *Cant.* 7, 2, ad mentem Parmeniani erat altare: reicitur autem ab Optato sub ratione dotis, quippe quia pars corporis ipsius sponsae . Quia dotes dantur sponsae occasione matrimonii, quando in domum mariti traducitur, cf. *S. Theol.* III Suppl. q. 95, a. 1, ideoque legitimae uxori, non concubinis, dotes unice Ecclesiae verae conveniunt. Sic theoria dotum, licet cum Ecclesiae notis non identicarum, viam theoriae notarum sternit. — Ab hisce dotibus Ecclesiae terrestris distinguantur eae, quae non nisi beatorum Ecclesiae conveniunt, de quibus mox in fine capitis.

8. Quamquam Ecclesia est sponsa et mater, manet tamen virgo, immo ut cum Chrysostomo et Augustino dicam, illo *In Eph.* cap. 5 hom. 20, 1-3: *MG* 62, col. 136-139; altero *Serm.* 213, 7: *ML* 38 col. 1063, ex amplexu Christi fit virgo. Hac de causa iam a primis saeculis vocatur Virgo-Mater, cf. Iren., *Ad Martyr.* apud Euseb. *H. E.* 5, 1, 45: *MG* 20 col. 425 et 427 et Ecclesia Virgo, unius Sponsi unica sponsa, cf. Tertull., *De Monog.* 11: *ML* 2 col. 943.

Cur autem Ecclesia vocetur Virgo, apparebit ex dicendis:

a) Concubitus eius est concubitus spiritualis ex semine spirituali. Quare, qui ex ea nascuntur, sec. *Ioh.* 1, 13 non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, ut pulchre evolvit S. Gregor. Magn., *In Ps. poen.* 5, 27: *ML* 79 col. 620 collato S. Leone Magno, *Serm.* 63, 6: *ML* 54 col. 356. Immo hac de causa proles eius secundum *Gal.* 3, 28 sexum non habet, auctore S. Paulino Nol., *Poem.* 25 v. 172-175: *ML* 61 col. 637. Exinde S. Augustinus, *Confess.* 7, 1, 1: *ML* 32 col. 733, Deum alloquens: « Spiritualis mater nostra, Catholica tua ». Vide etiam perpulchra apud S. Petr. Chrysol., *Serm.* 130: *ML* 52 col. 557.

b) Castissime conservat integritatem perfectam virtutum theologicarum: fidei spei et caritatis: cf. August., *De bon. vid.* 10, 13: *ML* 40 col. 438; *Tract. in Ioh.* 13, III, 13: *ML* 35 col. 1499; *Serm.* 188, 4: *ML* 38 col. 1005; Bed. Ven., *In Ioh.* 3: *ML* 92 col. 675. Prae ceteris tamen integerrima catholicae fidei conservatio ratio est, cur Ecclesia virgo sit et maneat, cf. Bedam *l. l.* et August., *Serm.* 192, 2; 213, 7; 341, 4, 5: *ML* 38 col. 1012, 1063, et *ML* 39 col. 1496.

c) Osculata a Christo, Ecclesia accipit charisma virginitatis, Synagogae ignotum, cf. Orig., *In Cantic.* II: *MG* 13 col. 132.

9. Ex praedictis omnibus de Ecclesiae maternitate et virginitate iam mirum non erit Ecclesiae Sponsae et Matris imaginem sublimiorem esse ipsam S. Mariam Virginem. Rationes enim sunt:

a) Sicut S. M. Virgo sic et Ecclesia propter copiam donorum et charismatum est gratia plena, ut luculenter apparuit in die Pentecostes.

b) Sicut B. M. Virgo Ecclesia concipit de Spiritu Sancto: cf. Leonem Magn., *Serm.* 29, 1 et 63, 6: *ML* 54 col. 227 et 356; Caesar. Ar., *Serm.* 121, 5: *ML* 39 col. 1989; Beda, *In Luc.* I, cap. 2: *ML* 92 col. 330.

c) Sicut B. M. Virgo Ecclesia est et manet Virgo cum maternitatis honore, cf. Ambros., *In Luc.* II, 7: *ML* 15 col. 1555; S. August., *De S. Virginit.* 2-7: *ML* 40 col. 397-400; *Serm.* 188, 4; 191, 3; 192, 2; 213, 7: *ML* 38 col. 1005, 1010, 1012, 1063; Caesar. Arel., *Serm.* 121, 5: *ML* 39 col. 1989; Paulin. Nol., *Poem.* 25, v. 155-182: *ML* 61 col. 636; Gregor. Magn., *In Ps. poen.* 5, 27: *ML* 79 col. 620; Beda, *loc. laud.*

d) Sicut B. M. V. genuit Christum, sic Ecclesia procreat populum Christianum, membra Christi, Corpus Christi, cf. August., Caesar., Paulin. Nol., *l. l.* et Berengaud., *In Apocal.* 12, 4: *MG* 17 col. 877 necnon Ambros., *In Luc.* III, 38: *ML* 15 col. 1605. Immo Ecclesia gignit Christum, i. e. Christum mysticum, cf. August., *Serm.*, Den. 25, 8: Misc. Agost., I pag. 163, et Guelf. 1, 8 pag. 448 coll. Ambros., *In Luc.* X 134: *ML* 15 col. 1838. S. Hippolytus, *De Christo et antichr.* 61: *MG* 10 col. 780-781 et S. Methodius, *Conv. X Virg.*, 8, 9: *MG* 18 col. 152 dicunt Ecclesiam semper Verbum masculum gignere scil. Christum in cordibus fidelium expressum et efformatum. Immo S. Hippolytus eo usque pro-

cedit ut dicat: « Ecclesia, dum Christum, Dei masculam et perfectam prolem, qui Deus et homo praedicatur, semper parit, docet omnes gentes ». Vide *Gregorianum* 13 (1932) pag. 521-522.

e) Sicut B. M. V. nutrit Christum, sic Ecclesia nutrit Christum mysticum, cf. Caesar. Arel., *Serm.* 121, 5: *ML* 39 col. 1989.

f) Sicut B. M. V. invisibiliter foecundatur a Sponso invisibili, et visibiliter regitur a visibili sponso, S. Ioseplio: sic Ecclesia invisibiliter subest Christo in visibili regimine Pontificis. Cf. Bed. Ven., *In Luc.* 1, 2: *ML* 92 col. 330.

g) Sicut B. M. V. est corredemptrix, gratiarum mediatrix ac dispensatrix, sic et modo suo Ecclesia. S. Ambrosius, *In Luc.* 7, 5: *ML* 15 col. 1700 in B. Virgine et S. Ioanne, sub cruce stantibus, figuram vidit generis humani et Ecclesiae, ac si Christus in cruce verbis istis: « Ecce Mater tua » homines Ecclesiae commendaret.

h) Sicut B. M. Virgo corruptioni non erat obnoxia, sic et Ecclesia est incorruptibilis.

i) Sicut B. M. Virgo (maternitatis divinae dogmate, ni fallor, quo repudiantur omnimodi errores in Christologia), liturgia teste, vincit haereses omnes, sic et Ecclesia. Cf. V. Bed., *In Luc.* 4 prol.: *ML* 92 col. 475.

k) Sicut B. M. Virgo, sic etiam Ecclesia veluti Eva mystica conterit caput serpentis. Cf. Rab. Maur., *In lib. Iudith* 13 et 16: *ML* 109 col. 575 et 584; *In Ecclum* 7: *ML* 109 col. 1175.

Hac in re culmen habemus in effato S. Bedae, ubi *In Luc.* 1, 2: *ML* 92 col. 330 adhibet verba: « Dei Genitrix Ecclesia ».

Quod si quis has similitudines omnes prae oculis habeat, non mirabitur in traditione Ecclesiastica Canticum Canticorum applicari cum B. Virgini, tum Ecclesiae; mulierem apocalypticam explicari cum ut figuram B. Virginis, tum ut figuram Ecclesiae; novam Evam non solum repraesentari in B. Virgine, sed etiam in alia Matre viventium, Ecclesia.

10. Aliae imagines Ecclesiae sponsae et Matris inveniuntur in Muliere forti, de qua *Prov.* 31, 10-31, et Muliere Apocalyptica, de qua *Apoc.* cap. 12.

De muliere forti, eiusque applicatione ad Ecclesiam vi-

de longam expositionem S. Augustini in *Serm.* 37, 1-30: *ML* 38 col. 222-235 et Bedae Ven., *De mul. forti libell.*: *ML* 91 col. 1039-1052; de muliere Apocalyptica S. Hippolytum, *De Christo et Antichr.* 60-61: *MG* 10 col. 779-782; S. Methodium, *De Conv. X Virg.* 5-12: *MG* 18 col. 145-160; Victorin. Afr., *In Apocal.* 12: *ML* 5 col. 336-337; Primas., *In Apocal.* lib. III cap. 12: *ML* 68 col. 872-874; Berengaud., *In Apocal.* 12, 1-7: *ML* 17 col. 875-878, ubi applicantur ea, quae in praecedentibus diximus, addita pugna continua Ecclesiae cum diabolo.

11. Ad mentem Patrum est igitur Ecclesia una, sancta, catholica, apostolica Sponsa Christi per excellentiam. Notandum tamen, ne oriatur confusio, etiam hac in re fieri triplicem considerationem, quae re coincidit cum hodierna distinctione inter Ecclesiam docentem, Ecclesiam discentem et Ecclesiam simpliciter.

a) Prima consideratio igitur in eo est, quod Sponsa identificatur cum Ecclesia hierarchica, qua tali. Haec consideratio fundamentum scripturisticum habet in 1 *Cor.* 4, 15; *Gal.* 4, 19; *Philem.* 10; 1 *Petr.* 2, 2. Hac de re bene observat S. Augustinus *Ad Gal.* 38: *ML* 35 col. 2132 Sanctum Paulum dicentem « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis », loqui ex persona Matris Ecclesiae. Vide etiam expositiones S. Hieronymi *In Iob.* cap. 39: *ML* 26 col. 812 (766) sqq. Verbo: Ecclesia Sponsa-Mater est imprimis Ecclesia docens.

b) Altera consideratio in eo est quod Sponsa identificatur cum fidelibus. In hac considerațione munus hierarchiae triplici modo exprimitur:

1° Hierarchia habet curam sponsae, sicut S. Ioscphus habuit ut sponsus visibilis curam B. Virginis foecundatae a Sponso invisibili. Cf. pulcherrimas expositiones apud Ambrosium *In Luc.* II, 7, cap. 1, 27: *ML* 15 col. 1555; Bedam, *In Luc.* 1, 2: *ML* 92 col. 330; Chrysost., *De Sacerd.* 3, 6 et 4, 7: *MG* 48 col. 644 et 670. Similia docet Ephraem, *Carm. Nisib.* 20, ed. Bick, pag. 115: Ecclesiam videlicet ut Christi sponsam concreditam esse Episcopo tamquam desponsori; et *Hymn. de Inst. Eccl.* 1, 1-4: Lamy III pag. 960-962: Ecclesiam esse sponsam Christi, cubicularium vero S. Petrum.

2° Episcopi ut Christi vicarii constituunt cum Christo sponsum Ecclesiae. Sponsus igitur est Christus, sese vi-

sibiliter manifestans in Episcopo. Cf. Eusch., *In Psalm.* 88, 21-25: *MG* 23 col. 1106: « Thronus Episcopi, thronus Christi », et August., *Serm.* 392, 4: *ML* 39 col. 1711: « Omnino ego moneo, ego praecipio, ego iubeo: episcopus iubet, Christus in me iubet. Ego, inquam, iubeo. Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico, iudices publicos, non proconsulem, non vicarium, non comitem, non imperatorem: sed Christum! ». Hac de ratione munus episcopale sensu pleno est matrimonium quoddam cum Ecclesia, sponsa episcopi. Sic iam Tertullianus *De Monog.* 8, quando S. Petrum monogamum dicit per Ecclesiam super eum aedificatam. Sic S. Pacianus, quando *Serm. de Bapt.* 6: *ML* 13 pag. 1092-1093 affirmat Christum in Ecclesia generare per suos sacerdotes. Sic Theodoret., *In Gal.* 4, 19: *MG* 82 col. 489 et S. Ephraem, *De Paenit.*: ed. Vat. VI pag. 202, ubi docent sacerdotes per sacramentum paenitentiae iterum parturire. Sic S. Athanasius *Apol. c. Arian.* 6: *MG* 25 col. 260, ubi ad se applicans illud 1 *Cor.* 7, 27: « Alligatus es uxori, noli quaerere solutionem », eloquitur: « Quod si hoc de uxore dictum est, quanto magis de Ecclesia, et de ipso episcopatu, cui alligatus quispiam, aliam quaerere non debet, ne adulter ex sacris litteris deprehendatur ». Sic S. Chrysost.. *De sua expuls.*: *MG* 52 col. 433 et S. Ioh. Dam., *Laud. S. Ioh. Chrys.* 18: *MG* 96 pag. 778: « Sponsus e thalamo extruditur ».

3° Sicut Christus sponsus habet Ecclesiam sponsam ut πλήρωμα quoddam, ita ut fiant duo in carne una, sic Ecclesia est πλήρωμα Episcopi, cf. S. Ioh. Chrysost., *De proph. obscur.* 2, 10: *MG* 56 col. 192 et Ps. Dionys., *De Eccl. Hier.* III, 14: *MG* 3 col. 444-445. Eodem modo Nazianzenus Ecclesiam πλήρωμα Episcopi, et Episcopum πλήρωμα Ecclesiae nuncupat, cf. *Orat.* 2, 4 et 99: *MG* 36 col. 412 et 502.

c) Tertia consideratio est, quod fideles et hierarchia complexive sumuntur ut Sponsa Christi, cuius membra pretiosiora seu organa sunt episcopi, sacerdotes, diaconi, atque doctores et pastores. Vide Orig., *In Cant.* II: *MG* 13 col. 131-133; S. Gregor. Nyss., *In Cantic.* hom. 7 collatis hom. 13 et 14: *MG* 44 col. 905-940 et 1037-1088, ubi invenies longissimas expositiones; S. Cyrill. Alex., *In Cant.*, 1, 14; 5, 15; 7, 4: *MG* 69 col. 1282, 1290, 1291; S. Gregor. Magn.(?), *In Cant.* 4, 2-6; 5, 16-24 et 7, 3-10: *ML* 79 col. 507-509; 522-525 et

534-535; S. Bed., *In Cant.* III, cap. 4 sqq.: *ML* 91 col. 1129-1136; Cassiod. (?), *In Cant.* 4: *ML* 70 col. 1072-1074.

Quia vero Ecclesia tota multis gaudet donationibus Spiritus Sancti, Theodoretus eam assimilat sponsae aureo vestitu exornatae, cf. *In Psalm.* 44, 14-15: *MG* 80 col. 1195 et *In Isaiam* 61, 10: *MG* 81 col. 474.

Distinctio haec triplex magni ponderis est in ecclesiologia. Si enim sponsa consideratur ut congregatio fidelium, abstractione facta ab organizatione iuridica, ad eam pertinent tum fideles N. T., qui credunt in Christum iam natum, tum V. T. qui credebant in nasciturum. Hoc sensu loquitur Cassiod., *In Psalm.* 8 praef.: *ML* 70 col. 74 de antiqua et nova Ecclesia, quae sint una sponsa, pretioso sanguine conquisita. Talis autem Sponsa acquivalet Ecclesiae illi universali, de qua passim S. Gregorius Magnus et quae locum tam eximium occupat in ecclesiologia Suarezii, abscondita in eius tractatu de fide.

12. Ultimus aspectus Ecclesiae Sponsae Christi est Ecclesia sine macula et ruga, *Eph.* 5, 27, quae in plena sua perfectione concidit cum Sponsa Agni, *Apocal.* 21, 2-9 et 22, 17.

Est quidem Ecclesia, prout virgo et mater est, etiam hic in terra, absque ulla macula et ruga, praesertim ratione Sacramentorum, quibus procreat et nutrit filios, nec minus ratione fidei immaculatae et intemeratae, cf. Rufin., *In Symb.* 39: *ML* 21 col. 376; non vero sine macula est ratione infantium. Vide Pii XI, *Mit brennender Sorge*: *AAS* 29, 1937, pag. 152 sq. et annotationes in editione nostra pag. 65-69; necnon Pii XII, *Mystici Corporis*: *AAS* 35, 1943, pag. 203. Qua de re S. Augustinus in *Retract.* 2, 18: *ML* 32 col. 637-638 dicit se in libris septem de Baptismo saepius commemorasse Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Sed illud non accipiendum esse, quasi iam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quandam ignorantiam et infirmitatem membrorum suorum eam habere, unde cotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra. Cf. etiam *De doctr. Christ.* 1, 16, 15: *ML* 34 col. 25; *Epist.* 185, 39-40 et 187, 28: *ML* 33 col. 810 et 842; *Serm.* 181, 2-3: *ML* 38 col. 980 et deinde Origen., *In Cant.* 4, 14; *MG* 13 col. 191.

Ratio igitur, cur hac in terra Sponsa Christi non sit sine macula, est in peccatis fidelium. Sed addit Augustinus,

hac de causa *totam* Ecclesiam confiteri culpam. Considerat S. Doctor totam Ecclesiam ut virginem sanctam et castam, in qua tamen caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, secundum Apostolum *Gal.* 5, 17. Concupiscit in ea caro adversus spiritum ob peccata membrorum Ecclesiae, concupiscit spiritus adversus carnem, quia sponsa haud aliter quam Sponsus caelestis concupiscentiam malam membrorum non amat, sed reprimit. Hac de re dolet sponsa de sua mala concupiscentia, sibi ut sponsae involuntaria, et licet maculata sit manet sancta, cf. S. August., *De abstin.* 11, 25: *ML* 40 col. 366.

Est autem in Ecclesia sponsa et coniuge Christi id caritas, quod in homine est sanitas. Quia igitur Sponsae sanitas laeditur membrorum infirmitatibus moralibus, Christus Sponsus purgat Sponsam suam medicinalibus quibusdam molestiis, (paenitentia, et vellem addere: medicinali dulcedine sc. Eucharistia), ut erutam de hoc saeculo, in aeternum sibi copulet coniugem Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, cf. S. August., *De Doctr. Christ.* 1, 14-15: *ML* 34 col. 25. Vide etiam S. Pacian., *Ep.* 3, 25: *ML* 13 col. 1079-1080 et S. Ambros., *De Poen.* I, 7, 31: *ML* 16 col. 476; sicut et Clem. Alex., *Strom.* 7, 14: *MG* 9 col. 522.

Accedit quod Ecclesia, quae in membris Christi ipsum Christum in domum suscipit, hac in terra, ut alia Martha, satagit circa frequens ministerium, quare sollicita est et turbatur circa plurima. Postea autem ipsa accepta in domum Sponsi, ut Maria sedebit ad pedes Domini in contemplatione perpetua. Cf. S. Augustin., *Quaest. Evang.* 20: *ML* 35 col. 1341 collato *Luc.* 10, 38-42.

In Caelo autem Christus Sponsae dabit aeternos amplexus eamque faciet coheredem aeternam, cf. S. August., *Serm.* 361, 20, 19: *ML* 39 col. 1610; ibi adstabit ad thronum Agni ut regina in vestitu deaurato, *Psalm*, 44, 10, id est circumfusa luce aurea aeternae visionis, cf. Euseb., *In Psalm.* 44, 10-14: *MG* 23 col. 401-404; ibi erit tota pulchra, nec macula in ea erit, *Cantic.* 4, 7 collato S. Gregor. Nyss., *In Cant.* hom. 7: *MG* 44 col. 940; ibi erunt nuptiae Agni aeternae cum coena illa magna, cf. *Apoc.* 19, 9, ad quam non intrabunt nisi virgines paratae, ornatis lampadibus, cf. *Mt* 25, 7-13, et qui vestiti sunt veste nuptiali, *Mt.* 22, 11-12.

Quia perfecta dotatio sponsae non habetur, nisi quando definitive traducitur in domum sponsi, cf. *S. Theol.* III suppl., q. 95, a. 1, ad 4 et a. 3 c.: plena dotatio Ecclesiae erit in caelis. Generatim septem numerantur dotes, quarum tres ad animam spectant: visio, fruitio, comprehensio; quattuor vero ad corpus: subtilitas, agilitas, claritas, impassibilitas. Cf. Angelicum *S. Theol.* I, q. 12, a. 7, ad 1; III, q. 45, a. 1, ad 3; III Suppl. qq. 82-85, et praecipue III Suppl. q. 95, a. 1-5. Loco ultimo art. 4 ad 1 de angelis notat: « Quamvis angeli pertineant ad unitatem Ecclesiae, non tamen sunt membra Ecclesiae, secundum quod Ecclesia dicitur sponsa per conformitatem naturae: et sic non convenit eis proprie habere dotes ».

Etiam distinctio Sponsae adhuc maculatae et Sponsae sine macula est primi ordinis. Est enim Sponsa sine macula et ruga ea, quam vocat S. Gregorius Magnus haud raro Sanctam Electorum Ecclesiam. Quod si bene prae oculis habes, videbis quo sensu Patres aliquando dicant solos sanctos vel praedestinatos esse de Corpore Christi, quod est Ecclesia. Cf. v. g. S. Hieron., *Ad Eph.* cap. 5, 24: *ML* 26 col. 564 (531).

13. Mirum sane videri potest quod in traditione non solum Ecclesia, sed etiam ipse Christus dicitur *Sponsa*, sicut ex altera parte Sponsa Christi vocatur *Christus*. Sic v. g. Gregor. Magnus *Moral.* 1, praef. 6, 13: *ML* 75 col. 525 dicit: « Ipse (Christus) in Capite Sponsus, ipse in Corpore Sponsa », et ex altera parte discipulus S. Augustini Orosius, *De lib. arb.* 31: *ML* 31, 1201: « Nos enim sub uno Capite, quod est Christus; et sub una Ecclesia, quae est Christus, omnes fratres sumus et unum Corpus in Christo ». S. Thomas breviter rem attingit III Suppl. q. 95, a. 3, ad 4.

Ad quaestionis solutionem notes quod vox Christi tripliciter adhibetur. Distinguatur Christus-simpliciter, Christus-totus, Christus-alter. *Christus-simpliciter*, i. e. Verbum incarnatum, natum ex B. Virgine, ratione sui non est sponsa, sed ut Sponsus Ecclesiae-Sponsae opponitur. *Christus-totus* est Verbum incarnatum prout per Spiritum Sanctum cum Ecclesia in unam personam mysticam unitur. Christus-totus non opponitur sponsae; sed ex unione Sponsi (Capitis) et Sponsae (Corporis) exoritur quasi nova persona, quae loqui potest secundum quod est Caput (ex persona Capitis) et secundum quod est corpus (ex persona corporis);

et cui etiam varia attribui possunt secundum quod Caput vel corpus respicitur. Et secundum hanc doctrinam intellegenda sunt verba Gregorii Magni: « Christus in Capite Sponsus, ipse in Corpore Sponsa », quibus alluditur ad illud *Isaiae* 61, 10: « Indumento iustitiae induit me (vid. Deus Messiam), quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis ». Cf. *S. Theol.* III Suppl. q. 95, a. 3, ad 4. *Christus-alter* est ipsa Ecclesia, prout Spiritu Christi in esse suo supernaturali sustentata, Spiritu Christi vivit, et in toto suo organismo ac in suis membris Christo ipsi assimilatur. Non igitur sponsae opponitur, sed est ipsa sponsa. Quare iure Orosius: « Ecclesia, quae Christus est ». Quando ergo Augustinus dicit: « Praedicat Christus Christum », cf. *Serm.* 354, 1: *ML* 39 col. 1563, hoc etiam sic reddi potest: « Sponsa praedicat Sponsum ».

Hae distinctiones clare prae oculis habendae sunt, si quis recte interpretari vult documenta multa patristica: immo de earum ignorantia valent verba Clementis Alex., *Strom.* VI, 10: *ML* 9 col. 303: πάσης πλάνης καὶ ψευδοδοξίας αἴτιον τὸ μὴ δυνάσθαι διακρίνειν. Vide quae scripsi de biformi conceptu Christi mystici apud Bellarminum in *Gregorianum* 23, 1942, pag. 274-290; Annotationes ad Encycl. « *Mystici Corporis* » in *Periodica* 32, 4 (1943) pag. 393-395, et infra sect. III, cap. 2, n. 5, ubi de regula famosa Tychonii.

Haec sint dicta de Ecclesia Christi Sponsa. Vides agitari conceptum versicolorem et multiformem. Vides etiam, quid sibi velit Bonifacius VIII, in Bulla *Unam Sanctam*, cf. *D* 468, dicens Ecclesiam Unam Sanctam Catholicam et ipsam Apostolicam eamque unicam esse Corpus Christi propter Sponsi unitatem.

CAPUT ALTERUM

Vitis et Palmites

Figura Vitis et Palmitum ab ipso Christo Domino proposita est in Evangelio S. Iohannis cap. 15. Cum ea arte cohaereat imago adhibita a Sancto Paulo *Rom.* 11, 16-24 de ramis oleastri insertis in bonam olivam. Vide etiam *Rom.* 6, 5 σύμφυτοι, necnon *Ephes.* 3, 18 et *Col.* 2, 6 ἐρριζωμένοι.

4. Habent sua fata figurae, quibus indoles mystica Ecclesiae exprimitur. Quamquam enim Patres vitem cum palmitibus considerant ut Ecclesiam Christi, cf. S. Basil., *In Hex.*, hom. 5, 6: *MG* 29 col. 107: « nos *Ecclesiae* (N. B.!) insertos palmites appellavit »; immo ut Ecclesiam praecise sub ratione suae catholicitatis, a qua haeretici et schismatici deficientes, arescunt et pereunt, cf. S. Pacian., *Epist.* 3, 25: *ML* 13 col. 1079-1080; S. August., *In Ep. S. Ioan.* tract. 2, 2: *ML* 35 col. 1990; *Serm. de pastor.* 8, 18: *ML* 39 col. 280; *De cat. rud.* 24, 44: *ML* 40 col. 341, collato Suarezio *Def. fid. cath.* 1, 16, 19: ed. Vivès XXIV pag. 83: tamen vitis et palmitum similitudo plus ansae dedit considerationibus asceticis quam proprie dictis ecclesiologicis. Cf. Orig., *In Cant.* III, 2, 4: *MG* 13 col. 154-155; *Ad Rom.* I, 13 et V, 9; *MG* 14 col. 859 et 1044 sq.; Method., *Conv. X Virg.* 5. 5: *MG* 18 col. 106; Ps. Athan., *Disp. c. Arian.* 32-36: *MG* 28 col. 479-488; Gregor. Nyss., *In Psalm.* tract. II, 5: *MG* 44 col. 505; Chrysost., *In Ioh.* hom. 76 et 77: *MG* 59 col. 409-420; Cyrill. Alex., *In Ioh.* 15: *MG* 74 col. 332-400, collato *In Isaiam* 1, or. 3: *MG* 70 col. 141-144; August., *In Ioh. tract.* 80-88: *ML* 35 col. 1839-1856; Prosp. Aq., *Carm. de ingr.* IV, 939-963: *ML* 51 col. 144-145; Bed. Ven., *In Ioh.* 15: *ML* 92 col. 836-851. Nec desunt disputationes ordinis trinitarii et christologici, cf. v. g. Athan., *De Sent. Dion.*: *MG* 25 col. 494-498; Didym., *De Trinit.* III, 8: *MG* 39 col. 850; Cyrill. Alex., *In Ioh.* 15: *MG* 74 col. 332-341; Hilar., *De Trinit.* IX, 55: *ML* 10 col. 326; Theodoret., *Dialog.* 1: *MG* 83 col. 89-92; quibus postea accedunt observationes antipelagianae relate ad gratiam et praedestinationem.

2. Quod ad speculationes ecclesiologicas spectat, generatim in iis tanguntur duo puncta fundamentalia, scil. consubstantialitas Christi vitis hominumque palmitum, et influxus Christi Capitis, ut e Commentariis Cyrilli Alex., Augustini, Bedae in cap. XV Iohannis statim apparet. Multo autem magis attenditur ad influxum Christi in animas singulas, quam ad vivificationem totius corporis organizati.

Aspectum autem magis organicum nobis proponit Leo XIII in Enc. *Satis Cognitum*: *ASS* 28 p. 710: « Ecclesiam cum *corpus*, tum etiam *corpus Christi* crebro sacrae litterae nominant: *Vos autem estis corpus Christi.* Propter eam rem, quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia; propte-

rea quod est Christi, vivum corpus est, actuosum et vegetum, quia eam tuetur et sustentat, immissa virtute sua, Iesus Christus, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, apparet ».

3. Imago Vitis atque Palmitum haec includit (nota parallelismum inter *Ioh.* 15 et *Ioh.* 17):

a) Christus est Vitis et quidem ut homo eiusdem naturae ac palmites. In eo virtualiter iam in incarnatione omnes palmites adsunt, cf. Hilar., *Tract. in Psalm.* 51, 16: *ML* 9 col. 317: « naturam in se universae carnis assumpsit, per quam effectus vera vitis, genus in se universae propaginis tenet ». Cf. supra de Sponsa pag. 29 sqq. Pater autem agricola est. Ipse enim est, qui mittit Christum, ut humanam naturam assumat et sic habeat potestatem omnis carnis, cf. *Ioh.* 17, 2-3.

b) Praecipui palmites seu potius rami, in quibus modo speciali clarificatur Pater, sunt Apostoli, missi a Christo Domino, cf. *Ioh.* 15, 8 et 16: « Posui vos ut eatis, et fructum afferatis et fructus vester maneat », collato *Ioh.* 17, 18 et *Act.* 20, 28: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ». Hac de causa singulari modo eos de mundo elegit Christus, cf. *Ioh.* 15, 16 et 19 ac 17, 6-12, coll. 6, 70: « Nonne ego vos duodecim elegi? » et 13, 18: « Ego scio, quos elegerim ». Ratio autem, cur eos Christus modo speciali in se plantet — nam *posui* significat *plantavi*, ut bene notat Chrysostomus; perdurat enim eadem metaphora — est propagatio novorum palmitum vi praedicationis apostolicae, cf. Origen. *In Rom.* VIII, 11: *MG* 14 col. 1193; Athanas., *In Psalm.* 1, 3; *MG* 27 col. 61 et Chrysost., *In Ioh.* hom. 77, 1: *MG* 59 col. 415. Sic fiunt Christi κλήματα καὶ συνεργοί, ut pulchre observat idem Chrysostomus *In Rom.* 24, 2: *MG* 60 col. 624, et fructus afferunt, i. e. animas lucrantur in praedicatione et gubernatione, cf. Cyrill. Alex., *In Ioh.* 15, 16: *MG* 74 col. 389-392.

c) Missio haec apostolica, qua apostoli ut Christi discipuli fructum plurimum afferre debent, est maxima cla-

rificatio agricolae, id est Patris, cf. *Ioh.* 15, 8, sicut et Christus missione sua Patrem clarificaverat, cf. *Ioh.* 17, 4-9. Includit autem ex parte Christi triplicem rationem amicitiae:

1° Christus tradit apostolis suis totum depositum fidei, nota faciens iis omnia quaecumque audivit a Patre. Sic apostoli initiantur in mysteriis familiae caelestis, quod unice amicorum est. Cf. *Ioh.* 15, 15, collato *Ioh.* 17, 6-8.

2° Christus tradit apostolis suis praecepta sua servanda, sicut et Ipse praecepta Patris observat, cf. *Ioh.* 15, 10, collato 17, 6-8. Dat vero rationem praecepti, quae est missio Patris caelestis, *Ioh.* 17, 8: servis autem ratio praecepti non datur. Missione vero illa intenditur clarificatio Patris ex una parte et salvatio hominum ex altera. Sic dilectione Dei et dilectione proximi apostoli erunt in Christi dilectione et in dilectione Patris, cf. *Ioh.* 15, 10 collato 17, 23-26. « Greges et agnos pascere », dicit S. Cyrillus Alex., *In Ioh.* 15, 11-13: *MG* 74 col. 381: « est Christum amare ». Hac de causa Stus Petrus, pastoratum supremum accipiens, prius respondere debet interrogationi: « Amas me? » Cf. *Ioh.* 21, 15-18.

3° Christus Apostolis, ut possint verbo et opere fructus afferre, dat dilectionem suam, eamque maximam. « Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos ». Hac de causa in cruce moriens, moritur pro omnibus hominibus, maxime fidelibus, cf. 1 *Tim.* 4, 10, sed modo speciali pro amicis suis, id est apostolis, cf. *Ioh.* 15, 13 collato 17, 19. Hanc ob rem apostolis modo prorsus singulari promittitur fructus Crucis: Spiritus Christi, Paracletus et Spiritus Veritatis, qui Christi discipulos confortare et adiuvare debet in exsecutione praeceptorum Magistri, cf. *Ioh.* 15, 26 collatis 14, 16 et 26, et 17, 17.

Sic ratione maxime intima Apostoli coniunguntur cum Christo doctore, praeceptore, sanctificatore, idque per Spiritum Sanctum, ut Christi missionem continuent. Inde gaudium Christi et apostolorum, cf. *Ioh.* 15, 11 collato 17, 13.

d) Alii palmites sunt omnes fideles. Nam quamquam Christus in capite Iohannis 15° modo speciali agit de apostolis, tamen, uti patet ex locis parallelis Pauli et traditione, etiam attendit ad omnes in se credituros. Coniunctio autem cum Christo haec includit:

1° Fideles sunt in Christo, et Christus in iis, cf. *Ioh.* 15, 5. Nam, ut bene observat Clemens Alex., *Strom.* VI, 15:

MG 8 col. 344: dum nos implantamur in Christum, Spiritus Sanctus ex Christo transplantatur in nos. Quod clare elucet quoque e loco parallelo 1 *Ioh.* 4, 13: « In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu Suo dedit nobis ». Est igitur influxus quidam vitalis Christi, ex eo quod nobis dat de Spiritu suo: i. e. de Spiritu, qui in Christo capite habitat cum superabundanti plenitudine gratiarum. Sic habet potestatem omnis carnis, ut omnibus dat vitam aeternam, *Ioh.* 17, 2.

2° Implantatio autem illa fit baptismo, ut docet S. Paulus *Rom.* 6, 1-5. Baptismate enim fideles fiunt concreti, σύμφυτοι cum Christo, cf. Cyrill. Hier., *Catech.* 20, 7: *MG* 33 col. 1084. Est enim baptismus transplantatio quaedam ex oleastro in frugiferam olivam, qua homo fit particeps pinguedinis Christi, teste eodem Cyrillo *Catech.* 1, 4: *MG* 33 col. 373, referens ad *Rom.* 11, 16-20 [1]. Pinguedo autem illa, ut ex praedictis patet, est ipse Spiritus Christi, quo homo radicatur in Christo, *Col.* 2, 7, et quidem in fide, *Rom.* 11, 20 et in charitate, *Eph.* 3, 18. Cf. Cyrill. Alex., *In Ioh.* 15, 1: *MG* 74 col. 333-347. Pulchre Ambrosius, *In Luc.* IX, 29: *ML* 15 col. 1800: « Ut tener surculus veteri abscissus ex arbore, in alterius fetu radicis inseritur: ita populus hic sanctus surculi veteris cicatricibus enodatis, in illo crucis ligno tamquam gremio piae parentis fotus inolescit ».

c) In vite sunt palmites, qui fructum non afferunt, et palmites, qui afferunt fructum, *Ioh.* 15, 2. Qui fructum non afferunt, sunt ii, qui sunt charitate mortui, sarmenta inutilia in vite, et quodammodo peiora paganis, qui sunt ligna silvatica, cf. August., *Enarr. in Psalm.* 30, II, 11, 6: *ML* 36 col. 242, collato Origen., *In Ezech.* hom. 6, 5: *MG* 13 col. 707-709. Non sunt simpliciter mortui, quia in iis manet virtus supernaturalis fidei, et deinde subsunt influxui Spiritus, quo iis paenitentiae et vitae novae propositum et inchoatio inspiratur, cf. *D* 1064. Ex altera parte etiam palmites frugiferi nondum sunt omni ex parte perfecti; purgantur ab agricola, ut plus fructus afferant, *Ioh.* 15, 2. Purgatio ista est increpatio divina per varias tribulationes (ἐπίπληξις),

[1] Ex imagine oleastri inserti in olivam deducit S. Augustinus *Enarr. in Psalm.* 72, 2: *ML* 36 col. 915 ordinem supernaturalem contrarium esse naturali. In natura id quod inseritur, secundum naturam suam fert fructus; invenitur non radicis fructus, sed surculi. Vide etiam S. Hilar., *In Psalm.* 51, 22: *ML* 9 col. 321-322.

vide Clem. Alex., *Paed.* 1, 7: *MG* 8 col. 329-332, collato Origen., *Ad. Rom.* I, 13: *MG* 14 col. 859. Putat autem S. Pacianus, *Epist.* 3, 16: *ML* 13 col. 1074 sicut et S. Bonaventura *In Ioh.* 15, 2 purgatione etiam intellegi paenitentiae sacramentum.

f) Extra vitem nulla salus: qui foras mittitur, arescit, in ignem mittitur et ardet, cf. *Ioh.* 15, 6. Eradicatio autem fit ob haereses vel mala opera, cf. Hilar., *In Psalm.* 51, 16: *ML* 9 col. 317. Haereses et schismata sunt amputanda, cf. August., *In Ep. Ioh.* tract. 2, 2: *MG* 35 col. 1990: *Serm. de past.* 8, 18: *ML* 38 col. 280; *De Cat. Rud.* 24, 44: *ML* 40 col. 341. Manet tamen similitudo exterior palmitis excisi et palmitis vivi, cf. August., *Serm.* 71, 19, 32: *ML* 38 col. 462-463. Quia igitur haeretici retinent quaedam doctrinālia et sacramenta ad quae vi haereseos non ius habent, a S. Ignatio, *Ad Trall.* 11, 1 παραφυάδες malae et venenosae nuncupantur. Vide etiam Primas., *Ad 2 Tim.* 2: *ML* 68 col. 676.

g) In imagine vitis, rapide per propagines suas crescentis, etiam insinuatur Ecclesiae catholicitas. Cf. S. Augustin., *Serm. de Past.* 8, 18: *ML* 38 col. 280; *Contra Consent.* 4, 60, 72-75: *ML* 43 col. 588-589 collato S. Cyprian., *De Eccl. Unit.* 5: *ML* 4 col. 501-502. Vide etiam Suárez, *Def. fid. cath.* I, 16, 19: ed. Vivès 24 pag. 83. Laborat autem vitis suis temporibus frigore et grandine, id est persecutionibus ipsi inflictis, cf. Pacian., *Epist.* 3, 25: *ML* 13 col. 1079-1080. Quod iam ipse Christus clare indicavit *Ioh.* 15, 20-27 collato 17, 14. Persecutio autem vitem exstinguere nequit. Rigatur vitis ipsa sanguine martyrum, cf. August., *De Cat. Rud.* 24, 44: *ML* 40 col. 341. Si palmites excidis, vitem multiplicas, ita Chrysostomus *In S. Rom.* 2, 3: *MG* 50 col. 616. Quanto plures resecantur palmites, eo maiores pullulabunt. Exsecto Stephano, pullulavit Paulus, teste eodem *De fer. repreh.*: *MG* 51 col. 139.

4. Cum imagine vitis arte cohaeret imago vineae, cf. *Psalm.* 79, *Isaiae* 5, *Ezech.* 17; *Mt.* 20, 1-16 et 33, 46; *Mc.* 12, 1-12; *Luc.* 20, 9-19. Dum autem in imagine vitis comprehenditur Ecclesia catholica, prout per Spiritum Christi cum Christo est unita, in imagine vineae Ecclesia potius proponitur ut aggregatio fidelium, ad quorum curam spiritualem Pater caelestis tum in V. Testamento, tum in Novo

suos misit operarios. Hac de causa vinea magis repraesentat Ecclesiam illam universalem Sancti Gregorii Magni, de que dixi supra pag. 50. Quare S. Augustinus *Enarr. in Psalm.* 79, 9-10: *ML* 36 col. 1023-1025 docet primam vineam et secundam eandem fuisse vineam; quod, re considerata alio ex angulo, negat Irenaeus *Adv. Haer.* 4, 4, 1: *MG* 7 col. 981, sicut etiam novum et antiquum foedus ut sponsas distinctas proponit *ibid.* 4, 31, 2 col. 1069-1070. Vide commentaria Patrum in locos V. et N. Testamenti modo allatos, et Gregor. Nyss., *In Ecclen.* hom. 3: *MG* 44 col. 660-661.

Quoad quaestionem totam consuli etiam possunt: S. Alb. Magn., *Comm. in Ioh.* cap. 15; S. Bonavent., *Comm. in Ioh.* cap. 15 et *Collat. in Ioh.* cap. 15, annot. 58-65, ed. Quar. VI pag. 446-453 et 604-605; S. Thom., *In Ioh.* cap. 15 lect. 1-5.

CAPUT TERTIUM

Templum Spirituale

1. Christus semet ipsum templo comparavit bis, cf. *Mt.* 12, 6 et *Ioh.* 2, 18-21 collatis *Mt.* 26, 61 et 27, 40 necnon *Marc.* 14, 58. Secundum multos Patres etiam *Hebr.* 9, 11 per « tabernaculum altius et perfectius, non manufactum, id est non huius creationis » ipsa sanctissima Christi humanitas indicatur. Sicut Christus, sic et Christiani vocantur templum, tum omnes simul, 1 *Cor.* 3, 16 et 2 *Cor.* 6, 16, tum etiam singuli, 1 *Cor.* 6, 19. Tandem ipsa Ecclesia templum nuncupatur, *Eph.* 2, 21 et domus pneumatica 1 *Petr.* 2, 5. Ratio autem imaginis est, quia tum in Christi humanitate, tum in fideli tum in Ecclesia modo singulari habitat divinitas, cui offeruntur oblationes spirituales. Cf. Gregor. Magn., *Moral.* 33, 16, 32: *ML* 76 col. 693, ubi pulchre ad incarnationem applicat illud *Prov.* 9, 1-3: « Sapientia aedificavit sibi domum cet. »; dein Origen. *In Ioh.* tom. X, 20 et 23: *MG* 14 col. 369-373 et 380-385 necnon *Contra Cels.* 8, 19: *MG* 11 col. 1545-1548, qui explicans *Ioh.* 2, 18-22 a templo humanitatis Christi gressum facit ad templum spirituale corporis mystici.

2. Christus semet ipsum etiam comparavit lapidi. Ipse est lapis conterens, cf. *Mt.* 21, 44 et *Luc.* 20, 18, id est lapis

ille, de quo *Dan.* 2, 34 et 45, qui abscissus de montibus, i. e. incarnatione descendens de caelo, cf. Iren., *Adv. Haer.* 3, 21, 7: *MG* 7 col. 953, conterit regna terrena seu polytheismum in universo mundo. Quam imaginem cum S. Augustinus, tum alii Patres haud raro ad Ecclesiam extendunt. Sicut enim lapis, ex alto monte prorumpens, alios lapides secum trahit, ita ut conglomeratio lapidum totam vallem occupet et impleat, sic Christus missus a Patre, missionem suam communicans hominibus, vi Ecclesiae suae totum occupat orbem terrarum et implet. — Non solum est lapis conterens, sed etiam lapis offensionis et petra scandali secundum Isaiae prophetiam, cf. *Isaiam* 8, 14-15 collatis *Mt.* 21, 44, *Luc.* 20, 18, *Rom.* 9, 32, 1 *Petr.* 2, 8. Est enim Christus crucifixus, secundum 1 *Cor.* 1, 23, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia, et secundum Simeonis praedictionem positus in ruinam et signum, cui contradicetur cf. *Luc.* 2, 34. Idem autem lapis offensionis fit lapis angularis, de quo *Psalm.* 117, 22, ut ipse Christus enarravit *Mt.* 21, 42, *Mc.* 12, 10, *Luc.* 20, 17 collatis *Eph.* 2, 20 et *Act.* 4, 11. Est autem lapis angularis, quia coniungit duos parietes, scilicet Iudaeos et gentes, cf. S. Opt. Mil., *De Schism. Donat.* III, 10: *ML* 11 col. 1021-1023. Nam morte sua destruens legem Veteris Testamenti, cf. *Mt.* 27, 51 et *Mc.* 15, 38 et *Luc.* 23, 45, non solummodo e medio sustulit parietem, quo duo populi separabantur, sed etiam in proprio suo corpore condidit duos illos populos, eos coniungens in semet ipso nova quadam creatione in unum novum hominem, id est in unum Christum mysticum, communicatione scilicet spiritus sui, quem in cruce Ecclesiae promeruit, cf. *Eph.* 2, 14-17. Sic factus est quasi lapis angularis novi templi spiritualis, in quo omnes aequo iure in uno Spiritu accessum habent ad Patrem, cf. *Eph.* 2, 19-20, omnes in cruce ad se trahens, *Ioh.* 12, 32; et effusione Spiritus sui habitans in omnibus omnesque sibi uniens, ut sint unum, sicut et Filius et Pater in spiritu Sancto unum sunt, *Ioh.* 17, 20-23. Haec est quasi idea centralis ecclesiologiae S. Cyrilli Alexandrini. Cf. *De ador. in Sp. et Ver.* III et XI: *MG* 68 col., 298 et 774; *Glaph. in Gen.* 4: *MG* 69 col. 202; *In Isaiam* 11, 12; 49, 14-15; 54, 4-5; 54, 16-17; 57, 17-21; 60, 4-7; 62, 4; 66, 1-3; 66, 10-12: *MG* 70 col. 333, 1065, 1200, 1216, 1277, 1325-1329, 1372, 1433, 1437; *In Mich.* 35 et 48: *MG* 71 col. 689 et 717; *In Soph.* 46: *MG* 71 col. 1020; *In Zach.* 27, 33, 55: *MG* 72 col. 73-76, 100,

141; *In Luc.* 2, 7 et 20, 17: *MG* 72 col. 493-496 et 888; *In Ioh.* 1, 14: *MG* 73 col. 164; *In Ioh.* 11, 49; 13, 35; 17, 20; 19, 16-18: *MG* 74 col. 69, 165-168, 555-558, 653; *In Rom.* 15, 7: *MG* 74 col. 853; *In 1 Petr.* 2, 6-7: *MG* 74 col. 1013.

3. Est Christus etiam fundamentum Ecclesiae et quidem unicum fundamentum, ut claris verbis docet S. Paulus 1 *Cor.* 3, 11: « Fundamentum enim aliud nemo ponere potest, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus ». Agit quidem S. Paulus hoc loco de fundamento vitae spiritualis singulorum fidelium, sed quod valet de singulis, eo magis valet de societate tota. Huic veritati minime opponitur alia, S. Petrum eiusque successores, esse petram, super quam Christus aedificavit Ecclesiam suam, cf. *Mt.* 16, 18. Nam ratione gubernationis et magisterii S. Petrus participat missionem divinam, quam accepit Christus a Patre, et Dominum visibiliter repraesentat ut eius vicarius, cf. *D* 1821. Hac de re Christus ipse summus Pastor, cf. *Ioh.* 10, 11 et 14, ipse ἀρχιποιμήν princeps Pastorum, cf. 1 *Petr.* 5, 4, non dubitavit Petro tradere gregem suum, dicendo: « Pasce oves meas », *Ioh.* 21, 16-18. Eadem ratione, ob quam Rom. Pontifex (et quod valet de summo Pontifice, valet etiam de Episcopis, Christi vicariis, relate ad proprium gregem) est Sponsus Ecclesiae in Christo Sponso, Pastor Ecclesiae in Christo Pastore, eadem ratione est petra et fundamentum in Christo petra et fundamento universali. Quare etiam in duodecim fundamentis civitatis caelestis, cf. *Apoc.* 21, 14 conscripta sunt nomina duodecim Apostolorum Agni. Optimas expositiones de relatione Christi et Petri sub relatione fundamenti vide apud indefessum laudatorem S. Petri, S. Maxim. Taur. *Homiliis* 54, 68, 113 necnon *Serm.* 66 et 69: *ML* 57 col. 353, 393, 517, 666, 673; dein apud Ps. Basil., *De Poenit.* 4: *MG* 31 col. 1481-1484; Aster. Amas., *Hom.* 8 *in SS. Petr. et Paul.*: *MG* 40 col. 268-269 et 280-281; S. Leon., *Serm.* 4, 2: *ML* 54 col. 150 collato *Epist.* 10, 1: *ML* 54 col. 629; S. Thom., *Comm. in Mt.* cap. 16, 18 collato *C. Gent.* IV, 76; Pium IX, Alloc.: *Singulari quidem* 26 Iun. 1867: *Act.* I 4, p. 104.

4. Dum Apostoli qua vicarii Christi quodammodo unum fundamentum cum Christo constituunt ratione missionis: fideles in Christo radicantur et fundantur, radicantur et superaedificantur ratione influxus vitalis, per charitatem et

fidem, cf. *Eph.* 3, 18 et *Col.* 2, 7, ubi notes transitum ab imagine vitis in imaginem templi. Tota autem Ecclesia terrestris ut templum spirituale describitur a S. Paulo *Eph.* 2, 19-22 et a S. Petro 1 *Petr.* 2, 4-10. Utraque descriptio potius dynamica est quam statica, cum qua compares S. Ignat., *Ad Eph.* 9 et *Ad Magn.* 7. Imago haec includit:

a) Christus est lapis angularis, ut vidimus supra, quia coniungit passione sua Iudaeos et gentes in unum. Est autem, teste S. Petro, lapis vivus, scilicet propter influxum vitalem. Dando Spiritum suum facit domum pneumaticam, habitaculum in Spiritu. Christus enim petra pneumatica est sec. 1 *Cor.* 10, 4-5. Vide etiam Origen., *In Ioh.* 1, 34: *MG* 14 col. 84.

b) Fundamentum sunt apostoli et prophetae (i. e. legati divini, apostolorum adiutores, ut patet ex *Eph.* 3, 5). Nec minus doctores et pastores. Nam et ipsi secundum *Eph.* 4, 11-13 cum apostolis, prophetis et evangelistis collaborant ad οἰκοδομήν Corporis Christi. Ipsi autem suam virtutem habent ex missione divina Christi secundum mensuram donationis Christi, cf. *Eph.* 4, 7-11.

c) Super Christum superaedificantur fideles ut lapides vivi, accedentes ad lapidem vivum, qui Christus est, cf. 1 *Petr.* 2, 4. Accipiunt enim a Christo Spiritum Christi cum charitate et fide, ut patet ex *Eph.* 3, 18 et *Col.* 2, 7, collato *D* 1821. Non solum autem superaedificantur, sed etiam coaedificantur, *Eph.* 2, 22. Fiunt enim omnes in unum novum hominem, coniuncti fide et caritate in Spiritu, idque virtute crucis, ut apparet ex *Eph.* 2, 16-19, et plastice describit S. Ignatius, *Ad Ephes.* 9.

d) Propter unionem cum lapide vivo angulari, in quo stat spiritualitas totius templi mystici, omnes fideles fiunt sacerdotium quoddam sanctum, seu suo modo participant sacerdotium Christi. Nam, ut pulchre docet S. Thomas, *In Mt.* 16, 18, Christus lapis angularis signatus est per lapidem, quem unxit Iacob, *Gen.* 28, 18-22, vocans eum Bethel, i. e. domus Dei. Ab unctione enim lapidis, qui Christus est, omnes fideles accipiunt suam unctionem, et hac de causa dicuntur Christiani seu uncti a Christo scil. Uncto, sicut et petrae vivae vocantur a Petra viva, qui Christus est. Hac de causa mirum non est, eum qui ut Christi vicarius modo speciali participat cum Christo, per excellentiam vocatum esse Petrum.

e) Sic ex superaedificatione super Christum eiusque apostolos, ex coaedificatione in Christo per Spiritum Christi, exoritur domus illa pneumatica, ut dicit S. Petrus, vel templum illud sanctum, habitaculum Dei in Spiritu, ut vult S. Paulus, ubi in uno Spiritu per Christum omnes habent accessum ad Patrem, cf. *Eph.* 2, 18, et omnes possunt offerre Deo hostias spirituales, acceptabiles Deo per Iesum Christum, cf. 1 *Petr.* 2, 5. Optime ad rem notat Leo XIII in Encycl. *Satis Cognitum*, cf. *ASS* 28 pag. 712 collato Clem. Alex., *Strom.* 7, 17: *MG* 9 col. 552, aedificium mysticum Ecclesiae suam eminentiam, qua omnia alia superat et nil sibi habet simile vel aequale, sicut et principium suum constructionis et unitatis, habere ex principio maxime uno, ex Deo scilicet et unione cum Christo incarnato.

Quoad totam quaestionem utiliter conferri possunt commentaria in *Eph.* 2, 19-22 Victorini Afri: *ML* 8 col. 1261; Hieronymi: *ML* 26 col. 506-508; Chrysostomi: *MG* 62 col. 43-46; Theodoreti: *MG* 82 col. 525; Ioh. Damasceni: *MG* 95 col. 833; Theophylacti: *MG* 124 col. 1066; Hilarii, *In Psalm.* 126, 7-11: *ML* 9 col. 696-698; Cyrilli Alex., *In Isaiam* 44, 23 et 45, 13: *MG* 70 col. 940 ac 968-969 et *In Ioh.* 15. 1: *ML* 74 col. 333. S. Hieronymus *In Isaiam* cap. 54, 11-12: *ML* 24 col. 541-543 simul considerat epistolam Petri et Pauli. S. Augustinus *In Psalm.* 111, 1: *ML* 37 col. 1467-1468 explicat Petrum. Origenes, *In Levit.* hom. 15, 3: *MG* 12 col. 562 et S. Leo Magnus, *Serm.* 48, 1: *ML* 54 col. 298 etiam rationem habent structurae hierarchicae. Speciali modo notentur S. Thomas, *Ad Eph.* cap. 2 lect. 6, collato *Ad Coloss.* cap. 2, lect. 2 et S. Robertus Bellarminus, *Expl. in Psalm.* 86: « Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob»: ed. Galdos pag. 484-489.

5. Imago Ecclesiae etiam exhibetur in Tabernaculo V. T. « Tabernaculum Christi caro eius, tabernaculum eius Ecclesia », dicit S. Augustinus, *In Ep. Ioh.* 2, 2, 3: *ML* 35 col. 1991-1992 collata *Enarr. in Psalm.* 26, II, 10: *ML* 36 col. 204-205. Tria testimonia hic consideranda veniunt, scilicet *Hebr.* 8, 1-7; 9, 11-28; 10, 19-25, quae quidem arte inter se connexa sunt.

a) Capite 8, 1-2 Christus ab Apostolo vocatur: Pontifex, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis;

sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Dominus et non homo. Est igitur Christus minister Sancti Sanctorum et Tabernaculi.

Observat Sanctus Thomas in hunc locum tabernaculo significari Ecclesiam militantem vel triumphantem. Prior explicatio rectior est. Potius enim τὰ ἅγια i. e. Sancta Sanctorum, figurant Ecclesiam triumphantem, at *tabernaculum*, quo ingreditur in Sancta Sanctorum, militantem signat Ecclesiam. Deinde proxime ad tabernaculum, i. e. ad conditionem terrestrem spectant quae dicuntur in versu sexto. Ibi enim explicatur liturgia Christi ex eo, quod est mediator N. Testamenti, quod melioribus promissionibus gaudet. Ubi certe agitur de Ecclesia militante ut patet ex promissionibus allatis ex Ieremiae prophetiis cap. 31, 31-34.

b) Capite 9, 11-28 Paulus tum alia docet, tum etiam: Christum Pontificem per (διά c. gen.) « amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non huius creationis », neque per sanguinem hircorum, sed per proprium sanguinem, introivisse in Sancta, aeterna redemptione inventa. Magis quam sanguis hircorum mundare possit, sanguinem Christi, per Spiritum Sanctum semet ipsum offerentis, emundare conscientias. Christum semel venisse in mundum ut sacrificium perficeret; in fine mundi eum apparituram exspectantibus ipsum.

Quamquam multi Patres in Tabernaculo figuratam vident sanctissimam Christi humanitatem, tamen et hic puto Tabernaculum repraesentare Ecclesiam. Comparatio tota sic evolvitur, ni fallor: Sicut Summus Sacerdos semel in anno; igne facit sacrificium; intrat Tabernaculum seu Sancta; sanguine mundat Tabernaculum; intrat Sancta Sanctorum oraturus pro populo; exit apparens exspectantibus se: sic Iesus Christus, S. Pontifex N. Testamenti, semel currente saeculo; igne amoris aeterni (διὰ πνεύματος αἰωνίου) facit sacrificium sui in Cruce; sibi in Cruce coniungit Ecclesiam a se conditam; Ecclesiam suam sanguine suo aspergit et mundat; redivivus intrat gloriam caelestem, semper interpellans pro nobis; in fine mundi rediturus, ut in iudicio ultimo appareat exspectantibus ipsum in gloria.

Haec explicatio magis placet:

1° Quia omnia multo melius cohaerent, si admittitur.

2° Quia *Hebr.* 9, 11 « tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis » aperte correspondet verbis ca-

pitis 8, 2: « tabernaculum verum, quod fixit Dominus, et non homo ». *Hebr.* 8, 2 autem agitur de Ecclesia terrestri.

3° Quia S. Thomas putat *In Hebr.* cap. 9, lect. 3, licet non excludat aliam hypothesim, Tabernaculo figurari N. Testamentum, quod non est manufactum sicut Vetus, nec est huius creationis seu in bonis sensibilibus creatis, sed in bonis spiritualibus. Etiam Origenes *In Lev.* hom. 9, 9-10: *MG* 12 col. 521-523, et Damascenus, *In Hebr.* 9: *MG* 95 col. 970-971 admittunt ambo tabernaculo Ecclesiam significari posse. Primasius vero ad eundem locum *ML* 68 col. 744-745 putat per tabernaculi aspersionem indicari, universalem Ecclesiam, cum omnibus suis ministrantibus sanguine passionis Christi emundari. Lege etiam Ps. Tertull., *Carm. Adv. Marc.* lib. 4, cap. 4: *ML* 2 col. 1080.

4° Quia sic habetur parallelismus perfectus cum aliis locis Scripturae: *Ioh.* 17, 19 (Christus sese sanctificans in Cruce, ut et apostoli sint sanctificati, ἡγιασμένοι); *Eph.* 5, 25-26 (Ecclesia Sponsa sanctificata in Cruce); *Eph.* 2, 16 (Christus in Cruce uniens in semet ipso omnes homines, eosque condens in unum hominem mysticum). Cf. antea dicta de Sponsa pag. 35 sq. et de lapide angulari pag. 59.

c) Capite 10, 19-25 dicit S. Paulus in sanguine Christi nobis praeberi introitum in Sancta, id est in Sancta Sanctorum seu Ecclesiam caelestem. Christum autem nobis initiasse viam novam et viventem per velamen i. e. carnem suam. Est igitur sancta humanitas Christi velamen, quo separatur Ecclesia terrestris ab Ecclesia caelesti et simul Ecclesia terrestris cum caelesti Ecclesia coniungitur. Aliis verbis intrantes in Ecclesiam terrestrem coniungimur cum Christo, per quem habemus accessum ad Patrem et gloriam.

6. Quidquid est de exegesi cap. 8-10 *ad Hebr.*, certum est Patres vidisse in Tabernaculo V. T. imaginem Ecclesiae, et ex eo occasionem arripuisse, ut Christi Ecclesiam describerent. Cf. v. g. Origen., *In Exod.* hom. 9 de tabernaculo: *MG* 12 col. 361-369; Ps. Tertull., *Carm. adv. Marc.* lib. 4, cap. 4-8: *ML* 2 col. 1079-1084; Euseb., *In Isaiam* 16, 1-5: *MG* 24 col. 202; Greg. Nyss., *De Vita Moysis*: *MG* 44 col. 385-388; et praesertim Bed. Ven., *De Tab. et Vasis eius*, lib. 2: *ML* 91 col. 425-462, ubi habetur longa tabernaculi et templi descriptio ad mysterium Ecclesiae praesentis explicandum.

Haud aliter ac tabernaculum ita et templum Salomonis

a Patribus allegorice explicatur in figura Ecclesiae. Conferas v. g. Origen., *In Ioh.* 2, 21-25: *MG* 14 col. 373-388, ubi mystice exponuntur III *Reg.* capita 6-8; Ephraem *In III Regum* cap. 5-10: ed. Vat. I pag. 456-468; et prae aliis denuo Bed. Ven., *De templo Salomonis*: *ML* 91 col. 735-808, in quibus longis considerationibus templum figura est sanctae Ecclesiae universalis, sensu Gregorii Magni intellectae. Cf. supra p. 50 et 59. In omnibus his expositionibus magis quam in aliis apparet structura organica templi mystici secundum diversa charismata, officia, status. Quod idem valet de explicationibus allegoricis *Cant.* 1, 17, ubi sponsa loquitur de pulchritudine domus suae, cf. Origen., *In Cant.* 1, 17: *MG* 13 col. 148-149; Hippol., *In Cant.* 1: Corp. Ber. pag. 362-363; Gregor. Magn., *In Cant.* 1, 17: *ML* 79 col. 494; Bed. Ven., *In Cant.* lib. II: *ML* 91 col. 1100-1101. Notum quoque est, S. Paulum *Gal.* 2, 9 nominasse S. Iacobum, S. Petrum, S. Iohannem columnas sc. Ecclesiae, cf. *Apoc.* 3, 12. Et hunc textum applicant Patres ad explicandam structuram templi mystici. Vide Cyrill. Alex., *In Cant.* 5, 15: *MG* 69 col. 1289; Theodoret., *In Psalm.* 86, 1: *MG* 80 col. 1561; Iust. Urg., *In Cant.* 65: *ML* 67 col. 975; Gregor. Magn., *Mor.* 17, 29, 42-43: *ML* 76 col. 30-31; et Gregor. Nyss., *In Cant.* hom. 7: *MG* 44 col. 913, quo ultimo loco habetur mystica explicatio ferculi Salomonis.

7. Sicut Sponsa mystica perfectam suam pulchritudinem non acquirit nisi in visione caelesti, sic et mysticum templum non acquirit suam perfectionem summam nisi in civitate apocalyptica, de qua S. Iohannes *Apoc.* 21, 10-27. Quamquam in depictione Ioannea multa insunt, quae non intelleguntur nisi a beatis, tamen quaedam etiam viatoribus sunt pervia.

a) Caelestis Ierusalem est Sponsa Agni, ornata viro suo, i. e. Christo cf. 21, 2; est tabernaculum, ubi Deus habitat cum hominibus: ubi non est mors, neque luctus, neque clamor, neque dolor, cf. 21, 3-4. En pars negativa beatitudinis.

b) In civitate non est templum, seu potius tota civitas est templum. Nam illuminatur a Deo et Agno, et habitatores ambulant in luce perpetua, cf. 21, 22-26, videntes faciem Dei, cf. 22, 5. En pars positiva visionis.

c) In civitate nil intrat quod est coinquinatum; in-

trant ii soli, qui sunt conscripti in libro vitae Agni, cf. 21, 27. En sponsa sine macula et ruga et Ecclesia praedestinatorum.

d) Civitas habet portas duodecim, tres ab Oriente, tres ab Aquilone, tres ab Austro, tres ab Occasu; in portis vero inscripta videntur nomina XII tribuum Israel, c. 21, 12-13. Figuratur quattuor caeli regionibus catholicitas Ecclesiae, cf. *Luc.* 13, 29: « Et venient ab Oriente etc... et accumbent in regno Dei ». Tribubus autem XII Israel indicantur omnes, qui spiritualiter nati sunt ex semine Abrahae, cf. *Rom.* 9, 6-10; 17-25; *Gal.* 4, 21-31.

e) Murus civitatis habet fundamenta XII, quae portant nomina « Apostolorum Agni », cf. 21, 14. Signum est apostolicitatis Ecclesiae, cf. *Eph.* 2, 20. Dicitur autem « Apostolorum Agni », et non simpliciter « Apostolorum », quia omnis missio et virtus apostolica est ex missione et virtute Christi, in quo et Apostoli aedificati sunt.

f) Ut aliquis intret portas civitatis et accedat ad lignum vitae, debet esse signatus signo Dei et Agni, cf. 7, 3; 9, 4; 14, 1; 22, 4, id est signo redemptionis (T), ut patet ex *Apoc.* 7, 3 collato *Ezech.* 9, 4. Debet lavare quoque stolam suam eamque dealbare in sanguine Agni, cf. 22, 14 collato 7, 14, quod alludit ad baptismum, quo fideles baptizantur in mortem Christi, cf. *Rom.* 6, 3 et *Eph.* 5, 26-27.

g) In media civitate est area sacra, ubi est thronus Dei et Agni; a throno autem illo procedit fluvius aquae vitae, cf. 22, 1-2. Optime observat S. Beda ad hunc locum, fluvium esse Spiritum Sanctum. Procedit enim Spiritus Sanctus a Patre Filioque, et de Spiritu homo metet vitam aeternam, cf. *Gal.* 6, 8 et *Ioh.* 7, 38-39, ubi flumina aquae vivae, quae fluunt de ventre Christi, dicta sunt de Spiritu, quem dat Christus glorificatus. Ex utraque ripa autem fluvii nascitur lignum vitae, cuius folia praestant aeternam sanitatem, cf. 22, 2-3. Nam participando Spiritum Christi, beati participant eius immortalitatem, glorificationem corporalem, illaesibilitatem, visionem atque beatitatem. Est autem ipse Agnus, qui ducit beatos ad fontes, cf. 7, 17. Manet igitur etiam in visione Christus vitis, cui palmites inhaerent.

h) Omnes beati glorificant Deum et Agnum, et illuminati a Deo, cuius faciem vident, serviunt Deo et Agno, et cum illo regnant in saecula saeculorum, cf. 22, 5.

Vide Hilar., *In Psalm.* 147, 1-2: *ML* 9 col. 875-876 et *In Psalm.* 118, 19, 12, col. 631; August., *Enarr. in Psalm.* 86:

ML 37 col. 1100-1109; Primas., *In Apoc.* cap. 21-22: *ML* 68 col. 921-932; Bedam *ibid.*: *ML* 93 col. 194-206; Berengaud., *ibid.*: *ML* 17 col. 945-970; collata expositione longa S. Gregorii Magni, *In Ezech.* 40, hom. 1-10: *ML* 76 col. 935-1071.

9. Si tabernaculum V. T. et templum Salomonis est imago Ecclesiae, multo magis templum catholicum. Mirum igitur non est, liturgistas saepius explicasse templa christiana veluti imagines templi spiritualis, quod est Ecclesia universalis. Initia vide apud Sanctum Augustinum, *Serm. tres de dedicat. eccles.*: *ML* 38 col. 1471-1479. Hac in re abundant liturgistae saec. XII et XIII, qui etiam de aliis imaginibus Corporis Mystici saepius profunde disseruere. Cf. liturgistas e schola Hugonis a S. Victore, v. g. *Spec. de myst. Eccl.*: *ML* 177 col. 335-380; *Miscell.* VII, 1-8; *ML* 177 col. 867-872; ex *Serm. Centum* serm. 1-3 et 44-45: *ML* 177 col. 901-907; 1015-1024. Accedunt Hon. August., *Gemma Anim.* I, cap. 122 sqq.: *ML* 172 col. 583; Sicard. Crem., *Mitrale* 1: *ML* 213 col. 13-44; Gul. Durand., ep. Mimatens., *Rationale div. off.* lib. I; Adam a S. Vict. *Hymn. de dedic. eccl.*: *ML* 196 col. 1460. Cf. Sauer, *Symbolik des Kirchengebäudes... in der Auffassung des Mittelalters,* ubi specialis ratio habetur Honorii, Sicardi, Durandi, Frib. Br. 1902. In considerationibus liturgistarum multa combinantur ex iis, quae supra exposuimus, ut iam statim patet ex hymnis in officio communi de dedicatione Ecclesiae.

10. Cum imagine templi arte cohaeret aedificatio turris spiritualis, qualis describitur in Pastore Hermae *Vis.* III, 3-7 et *Simil.* IX, 1-10. In turri illa, quae aedificatur super aquas baptismatis et sustinetur virtute invisibili ipsius Domini, cf. *Vis.* III, 3, sunt lapides pulchriores, scilicet apostoli, episcopi, doctores, diaconi, cf. *Vis.* III, 4-5, et lapides ordinarii, videlicet fideles observantes mandata divina, necnon peccatores, qui egerunt paenitentiam, cf. *Vis.* III, 5-7. Tota descriptio nobis praestat imaginem « Sanctae electorum Ecclesiae » in fieri, quae Ecclesia suam perfectionem definitivam habebit in Ecclesia caelesti seu in « Sancta electorum Ecclesia in facto esse ». Ecclesia autem in stadio suo finali depingitur ut monolithos, *Simil.* IX, 9. Conferas *Apocal.* 21, 16 et Berengaud., *In Apoc.* 21, 14: *ML* 17 col. 950, ubi etiam de paenitentia.

CAPUT QUARTUM

Panis pneumaticus

Bis in S. Scriptura Ecclesia pani assimilatur: semel a Christo Domino *Mt.* 13, 33 collato *Luc.* 13, 21; semel a S. Paulo 1 *Cor.* 10, 17, saltem e mente eorum, qui legerunt: « Quoniam unus panis *et* unum corpus multi sumus ». Addi potest *Rom.* 11, 16: « Quod si delibatio sancta, et massa ». Pauca sunt verba, sed in paucis istis verbulis traditio invenit fere totam ecclesiologiam.

1. *Mt.* 13, 33 collato *Luc.* 13, 21 Christus dicit: « Simile est regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum ». Multiplici explicationi ansam dedit textus.

a) Secundum S. Hilarium, *In Mt.* 13, 5: *ML* 9 col. 994 sata tria sunt Lex, Prophetae et libri Novi Testamenti. Fermentum autem est Christus, qui omnes istos libros ut elementum centrale pervadit; vel etiam Spiritus Sanctus, qui sua inspiratione est ratio mirae unitatis illorum librorum. Cf. etiam S. Ambros., *In Luc.* VII, 189: *ML* 15 col. 1749.

b) Adhibita theoria trichotomiae (corpus, anima, mens) Origenes, *Schol. in Luc.* 13, 20: *MG* 17 col. 358; Eusch., *In Luc.* 13, 20: *MG* 24 col. 565; Ambros., *In Luc.* VII, 190: *ML* 15 col. 1750; Bed., *In Luc.* 13, 2: *ML* 92 col. 507, docent mulierem panificam esse Ecclesiam, quae accepta virtute Spiritus Sancti totum hominem ita fermentat, ut in eo exoriatur plena harmonia partium inferiorum et superiorum. Vide deinde Clem. Alex., *Strom.* 5, 12: *MG* 9 col. 119, qui nota ex mente Platonica voce *animae tripartitae* comprehendit animae partes intellegentem, concupiscibilem, irascibilem, ut patet ex *Paedag.* 3, 1: *MG* 8 col. 555 cum nota.

c) S. Petrus Chrysologus *Serm.* 99: *ML* 52 col. 477 parabolam applicat ad originem Corporis Mystici in utero B. M. Virginis. Ut haec comparatio melius intellegatur, notes panem confici ex farina; fermentum autem panis etiam esse farinam, in qua tamen ex semine grani insit virtus specialis effervescendi, cf. Origen., *l. l.*; *Ambros., l. l.* 187

et Max. Taur *hom.* 111: *ML* 57 col. 513 (fermentum non nisi de tritico fieri solet). Christus autem, sese uniens carni in alvo Virginis, fermentationem Verbi tribuit illi carni; sic naturam suam humanam facit in farinam vivificam seu in fermentum; quod fermentum in utero Virginis iam fermentare facit totam massam Adae. Eadem idea habetur, ni erro, apud Irenaeum, *Adv. Haer.* III, 16, 6: MG 7 col. 925, ubi dicit Christum per incarnationem unitum et consparsum (πεφυρμένος ex Grabii coniectura) suo plasmati (vide etiam III, 17, 2 col. 929), quamquam generatim S. Doctor voce plasmatis intellegit terram virginalem, ex qua factus est Adam. cf. III, 18, 7 et 21, 10: *MG* 7 col. 938 et 954. Videas et antea dicta de Sponsa et Vite pag. 27-33 et pag. 55.

d) Alia explicatio, quam obscure habes apud Chrysologum *l. l.* col. 479, farinam aequiparat tribus stadiis humanitatis, quae Christum praecedunt; tempore Christi vero fermentatio perfecte homines attingit, donec in visione habeat suum gradum supremum. Fermentum autem est fides in Christum, postea transiens in visionem. En Ecclesia universalis ad mentem S. Gregorii Magni. Cf. antea dicta de Sponsa pag. 50, de vite pag. 58-59, de templo pag. 66.

e) Tandem tria sata farinae explicantur per Ecclesiam praesentem. Mulier panifica est Deus vel ipse Christus, Ecclesiae conditor. Sata tria vocantur fideles; vel quia singuli constant secundum aliquos: corpore, anima, mente; secundum alios: parte rationali, concupiscibili, irascibili, ut modo vidimus; vel quia aggregantur ex Semitis, Iaphitis, Chamitis, ut multi dicebant tempore Hilarii, cf. *In Mt.* 13, 5-6: *ML* 9 col. 994; vel quia dividuntur in coniugatos, continentes, virgines, ut voluit S. Beda, *In Luc.* 13, 21: *ML* 92 col. 507. Quod autem ad fermentum spectat: secundum Bedam est charitas, secundum Ambrosium *In Luc.* VII, 190: *ML* 15 col. 1750 est doctrina Christi. Quae certe vera sunt. Utraque explicatio continetur in profundiore quadam, ab eodem Ambrosio data n° 187 col. 1749, fermentum esse Christum, ratione farinae i. e. humanitatis nobis similem, virtute autem fermentandi, i. d. divinitate sua, nobis incomparabilem. Quod idem docet pulcherrime S. Maxim. Taur., *Hom.* 111: *ML* 57 col. 513, necnon Origenes, *Schol. in Luc.* 13, 21: *MG* 17 col. 358, quando fermentum vocat Spiritum Sanctum, quo omnes fiunt « nova conspersio, unus panis et unum corpus », vel etiam ipsum Dominum, prout per Spiritum suum

est « panis, qui de caelo descendit, vivificans universa », ut totam farinam vivificatione Spiritus sui sibi similem efficiat. Cf. etiam Eusebium, *In Luc.* 13, 20: *MG* 24 col. 565. Cum Ambrosio et Origene practice consentit Gregor. Nyss., *Orat. Cat.* 37: *MG* 45 col. 93, qui virtutem vivificantem modo speciali attribuit Eucharistiae. Explicationem omnino diversam dat S. Ambros., *De paenit.* I, 15, 80-81: *ML* 16 col. 490, collato II, 10, 91 et 92 col. 518 et 519 et Chrysostom., *In 2 Cor.* hom. 18, 3: *MG* 61 col. 527. Fermentum Ambrosius nuncupat dolorem, orationem, fletum Ecclesiae, quae in paenitentia publica de peccato paenitentium quasi de suis peccatis dolet. Est enim Ecclesia tota ut femina illa, quae sanguinis fluxum duodecim annis patiebatur, confitens vulnera sua et curari cupiens, dum clamat: « Si tetigero vestimentum eius, salva ero ». Cf. *Ibidem* 1, 7, 31 col. 476 et antea exposita de sponsa sine macula et ruga pag. 50-52.

2. Iam vidimus, secundum Patres quosdam rationem unionis mysticae panis pneumatici esse Christum, panem de caelo, eucharistiam. Id expressis verbis docet S. Paulus 1 *Cor.* 10, 16-17: « Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, (et) unum corpus multi sumus, omnes qui (i. e. quia omnes οἱ γὰρ πάντες) de uno pane participamus ». Ad quem textum nota, eum a quibusdam antiquis sic esse intellectum: « quia omnes de uno pane participamus, sumus multi unus panis et unum corpus ». Quidquid id est, in textu exprimitur duplex idea: Ecclesia est una; est autem una propter Eucharistiam. Utraque idea in traditione evolvitur.

a) Iam in cantico Eucharistico, *Didache* 9, 4 Ecclesia dicitur collecta in unum ex omnibus mundi partibus, sicut panis eucharisticus ex granis ubique sparsis in montibus fit unum. Etiam S. Ignatius docet, unum esse altare, unum episcopum cum presbyteris et diaconis, unam ecclesiam catholicam, sicut una est Eucharistia, cf. *Philad.* 4; *Smyrn.* 8; *Eph.* 20. Eodem modo S. Irenaeus dicit *Adv. Haer.* III, 17, 2: *MG* 7 col. 929 multos fieri unum in Iesu Christo ex aqua caelesti i. e. ex aqua baptismatis et Spiritus Sancto, sicut adiecto humore aridum triticum fit una massa et unus panis. Cf. etiam S. August., *Epist.* 185, 11, 50: *ML* 33 col. 815.

b) Imaginem panis modo speciali evolverunt S. Augustinus et S. Caesarius Arelatensis. S. Augustinus *Serm.*

227 et 272: *ML* 38 col. 1099-1101 et 1246-1248 rem sic exponit: Sicut multa grana tritici undique colliguntur; in farinam conteruntur; aqua coniunguntur; igne coquuntur: sic fideles undique convocantur; ieiunio et exorcismis conteruntur; baptismate in Christo uniuntur; Spiritu Sancto i. e. sacramento chrismatis perficiuntur. Sic effecti unus panis, sunt quod vident in altari, accipientes ex altari, quod sunt. Et sicut corpus Christi sumitur nec tamen consumitur, sic et Ecclesia manebit in aeternum. Vide etiam *Serm.* 6, 1: *ML* 46 col. 835. Eodem modo procedit S. Caesarius *Hom.* 5: *ML* 67 col. 1055-1056: Grana sunt gentes quae vocantur; fide in Christum cribrantur a lolio infidelium; sese subicientes doctrinae N. et V. Testamenti quasi duobus lapidibus molaribus efficiuntur farina splendens et nitescens; aqua baptismatis una massa constituuntur; igne Spiritus Sancti in confirmationis sacramento coquuntur in panem. Sic Ecclesia fit figura Panis Eucharistici: nam sicut in baptismate ex hominibus fit corpus Christi (spirituale), sic verbo Dei in Eucharistiae sacramento ex pane fit corpus Domini (reale).

c) Optime notat S. Iohannes Chrysostomus, *In 1 Cor.* hom. 24, 2: *MG* 61 col. 200 et post eum S. Iohannes Damascenus, *In 1 Cor.* 10, 17: *MG* 95 col. 649 nos exsistere panem unum et unum corpus non tantum, quia unimur inter nos, sed etiam quia unimur cum Christo. Ratio huius unitatis est ex una parte corpus Christi, quod multis fidelium milibus in universo orbe terrarum habitantibus distributum, totum in se manet dum totum singulis datur, cf. Gregor. Nyss., *Orat. Catech.* 37: *MG* 45 col. 93 collato Cyrill. Alex., *De Trin.* dial. 1: *MG* 75 col. 697 et Chrys., *In Hebr.* cap. 10, hom. 17, 3: *MG* 63 col. 131; ex altera parte Spiritus Christi, quem Spiritum uberrime omnes ex Eucharistia hauriunt, cf. S. Hieron., *Adv. Iovin.* 2, 29: *ML* 23 col. 341 (326); S. August., *In Ioh.* tract. 26, 6, 12-15: *ML* 35 col. 1612-1614; S. Cyrill. Alex., *In Ioh.* 17, 20-21: *MG* 74 col. 557-561[1]. Quomodo autem in Eucharistia accipiamus Spiritum Christi: adhibita imagine fermenti, de qua supra diximus, pulchre explicat Chrysostomus, *In 1 Cor.* hom. 24, 2: *MG* 61 col. 200-201. Sicut enim grana multa uniuntur inter se virtute fermenti

[1] Alia testimonia S. Cyrilli Alex. vide *Text. et Doc.* ser. theol. 1 pag. 59, not. 4.

quod totam massam farinae pervadit, sic et nos unimur inter nos ex virtute corporis Christi, quod est fermentum caeleste. Nam caro Christi est caro vivifica et hac de causa in Eucharistia acceptum ut novum fermentum omnes fideles penetrat, expellens vetus fermentum peccati, et inflammans ad novam vitam, cf. 1 *Cor.* 5, 7. Facile videtur, quomodo per figuram panis fermentati exprimatur unio quaedam intima fidelem inter et Christum virtute Eucharistiae. Nam fermentum ipsum est ex massa farinae, cui sese facillime admiscet, dum virtutem suam specialem effervescendi ex contactu quodam reali quasi connaturaliter toti massae communicat. Cf. etiam S. Cyrill. Hier., *Catech.*, 21, 7: *MG* 33 col. 1093.

Quod si quis imaginem panis, virtute fermenti caelestis fermentati, prae oculis habet, facilius intelleget multos Patres unionem eucharisticam non moralem tantum, sed etiam physicam quandam habuisse. Cf. Cyrill. Hier., *Catech.* 22, 3: *MG* 33 col. 1100; Chrysost., *In Mt.* hom. 82, 5: *MG* 58 col. 743-744; *In Ioh.* 46, 2-3: *MG* 59 col. 260; *In 1 Cor.* hom. 24, 2: *MG* 61 col. 200; Cyrill. Alex., *In Ioh.* 15, 1 et 17, 21: *MG* 74 col. 341 et 560; *De Trinit.* dial. 1: *MG* 75 col. 696-697; Ioh. Damasc., *De Imag.* 3, 26: *MG* 94 col. 1347; Hilar., *De Trinit.* 8, 13: *ML* 10 col. 245-246; Ambros. (?), *De Sacr.* 6, 1, 4: *ML* 16 col. 455; Leo Magn., *Serm.* 63, 7: *ML* 54 col. 357.

3. Ex praedictis clare apparet panem Eucharisticum esse modo speciali figuram panis pneumatici, quod est Ecclesia. « Ne quisquam, ita Augustinus *de Cons. Evang.* III, 25, 72: *ML* 34 col. 1206, se Christum agnovisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est Ecclesiae, cuius unitatem in sacramento panis commendat Apostolus dicens: Unus panis, unum corpus multi sumus ». Relatio autem figurae et figurati tam intima est, ut saepius S. Augustinus de una in aliud quasi inconscie transeat, cf. exempli causa *Serm.* 272: *ML* 38 col. 1247, ubi fidelibus indicans Eucharistiam, dicit: « Estote quod videtis et accipite quod estis! », vel etiam S. Fulgentii, *Epistol.* 12, 11, 24: *ML* 65 col. 390-391, ubi profunda speculatio habetur de mutua relatione Baptismatis et Eucharistiae in Corpore Christi. Nec mirum. Nam dum sponsa, vitis, templum sunt mere imagines, panis Eucharisticus non solum est signum panis pneumatici, sed

etiam signum efficax. « Quid est panis? rogat Chrysostomus: Corpus Christi! Quid fiunt communicantes? Corpus Christi! ». Cf. *In 1 Cor.* hom. 24, 2: *MG* 61 col. 200-201, collato *De Prod. Iud.* hom. 1, 6 et 2, 6: *MG* 49 col. 382 et 392, et Theodoret., *In* 1 *Cor.* 10, 16-17: *MG* 82 col. 306: « Corpus et sanguinem Domini nos esse fatemur, quia omnes de uno pane participamus ». — Immo ex mente Augustini panis eucharisticus non tantum figura Corporis Mystici est, sed etiam aliquo sensu ipsum Corpus Mysticum. Sicut in Golgotha Christus offert semet ipsum, sic in Missa Ecclesia offert semetipsam. Etenim Deo offert Christum, quatenus est Caput omnium fidelium, ration capitis eminenter totum mysticum Corpus in se continens. Vide e. g. *De Civ. Dei,* 1, 10, 6 et 20: *ML* 41 col. 284 et 298.

SECTIO TERTIA

Allegoria Corporis Christi et Christi Mystici

CAPUT PRIMUM

Doctrina S. Pauli Apostoli

1. Ecclesiam esse Corpus Christi idea praedilecta est S. Pauli, et ita obvia, ut S. Gregorius Nyssenus dicat Apostolum σωματοποιεῖν haud aliter ac ipsum Verbum σωματοποιεῖ in Cantico, cf. *Homil. in Cantic.* 7 et 14: *MG* 44 col. 929 et 1080. Hominum autem societatem corpori assimilari posse propter suam contemperationem coordinationis et subordinationis, res mira non est. Romani antiqui rempublicam totam corpus vocabant, sicut et Plato totum mundum ut unum σῶμα considerat; et iidem Romani etiam societatis istas, quas hodie vulgo « corporationes » dicimus, nomine « corporis » indicabant. Notissima quoque est rudis illa oratio Menenii Agrippae apud Livium *Hist.* II, 32, in prima secessione plebis habita. Etiam Graeci, Romanos secuti, ut ex Pandectis apparet, corporationes σωματεῖα vocabant, quam vocem iam S. Ignatius *Ad Smyrn.* II, 2 applicat ad Ecclesiam. Scriptores Ecclesiastici haud raro organizationem reipublicae voce σωματοποιήσεως τῆς πολιτείας reddunt.

2. Ad mentem S. Pauli vox σώματος haec includit, ecclesiologo haud spernenda:

a) Corpus est aliquid reale, concretum. Hac de re *Col.* 2, 17 corpus opponitur umbrae; et eadem de ratione *Col.* 2, 9 plenitudo Divinitatis in Christo dicitur habitare corporaliter, id est realiter.

b) Corpus opponitur spiritui (πνεῦμα) ut materiale, visibile, vivificandum opponitur spirituali, invisibili, vivificanti. Cf. 1 *Cor.* 5, 3, ubi Apostolus loquitur de praesentia corpore (visibili) et de praesentia spiritu (invisibili); deinde

Rom. 8, 11, *Eph.* 4, 4 et 1 *Cor.* 12 per totum. Spiritus autem sese manifestat in operationibus corporis, cui inest, cf. 1 *Cor.* 12, 7 et 2 *Cor.* 4, 10-14.

c) Corpus est aliquid unum et totum, et sic opponitur corpus membris, quae in corpore subsistunt, cf. *Rom.* 12, 3-5 et 1 *Cor.* 12.

d) Corpus est aliquid heterogeneum, harmonice compositum et compactum per varios nexus coordinationis et subordinationis; et hac ratione corpus opponitur massae homogeneae anorganicae, cf. *Eph.* 4, 16, *Col.* 2, 19, et *Rom.* 12, 3-8 necnon 1 *Cor.* 12, ubi varia membra corporis secundum actuum differentiam distinguuntur.

e) Secundum usum antiquum Graecorum etiam apud S. Paulum corpus supponitur pro persona (n.b. σωματοποίησις haud raro aequivalet *personificationi*), cf. *Eph.* 5, 28 et 29 collato 5, 33. Hac de causa fideles, qui alibi dicuntur, « corpus unum », *Gal.* 3, 28 vocantur εἷς unus in Christo Iesu. Vide etiam Iust., *Dial. c. Tryph.* 42, 3.

Ecclesia igitur ex mente Pauli est aliquid reale, visibile unum, totum, organizatum, quod propria quadam personalitate gaudet.

3. Auctore verum Paulo, Ecclesia non solum corpus est, sed etiam est Corpus Christi. Imago autem Corporis Christi ita arte cum imagine Sponsae, Vitis et Palmitum, Templi, Panis Pneumatici cohaeret, ut quasi inconscie Apostolus de una allegoria transeat in aliam. Vide exempli causa:

Eph. 2, 13-22, ubi paulatim fit gressus a Corpore Christi condito in Cruce ad coaedificationem templi spiritualis.

Eph. 5, 22-33, ubi a Sponsa transitur ad Corpus, et vice versa; collato *Apocal.* 21, 9-10, ubi Sponsa, Uxor Agni, identificatur cum Civitate caelesti Ierusalem.

Eph. 3, 17 et *Col.* 2, 7, ubi fideles dicuntur simul « radicati » in Xo, et simul « fundati » vel « aedificati »; et *Rom.* 7, 4, ubi docemur « fructificare » Deo ex unione cum Christi corpore.

Rom. 11, 16, ubi delibatio refertur ad massam, sicut radix ad ramos.

Identitas materialis imaginum etiam ex eo apparet, quod vox « aedificationis » οἰκοδομῆς non tantum adhibetur in descriptione templi spiritualis, *Eph.* 2, 21, sed etiam in analogia corporis, cf. *Eph.* 4, 12 et 16. Notatu dignum est

etiam secundum *Gen.* 2, 22 Deum aedificasse (ᾠκοδόμησεν) costam Adae in mulierem; et 1 *Cor.* 3, 4-18 opus apostolicum conparari primum cum agricultura, deinde cum templi constructione, dum ambae imagines in media pericope versu 9 coniunguntur verbis: « Dei agricultura, Dei aedificatio estis ». Quomodo imagines sese mutuo compleant, non solum videtur *Eph.* 5, 22-23, sed etiam 1 *Petr.* 2, 4-5, ubi in aedificatione templi spiritualis lapides *vivi* ad lapidem *vivum* accedunt.

4. Ut in haec generali introductione rem ad principaliora coartemur: imago Corporis Christi ex mente Paulina haec includit:

a) Ex voluntate Dei Christus est Caput totius Ecclesiae, *Eph.* 1, 22. Ecclesia et Christus sese habent ut corpus et caput. Christus est caput Corporis Ecclesiae, *Col.* 1, 18; Ecclesia est Corpus Christi, *Col.* 1, 24.

b) Christus, ut Deus, est primogenitus omnis creaturae, *Col.* 1, 15, quia sua generatione aeterna ex Patre *accipit* naturam (cf. S. Thom., *De Verit.* q. 29, a. 4) ante omnes creaturas, sive homines sive angelos. Qua talis est imago Dei invisibilis. Quia Pater in Filio videt omnia creabilia et omnia creanda, omnia in Christo et per Christum creata sunt, et hac de re omnia in caelo et in terra in eo constant, *Col.* 1, 15-17.

c) Ut nos haberemus redemptionem et remissionem peccatorum, Pater nos transtulit in regnum filii dilectionis suae, *Col.* 1, 13-14. Huius Regni, quod inchoatur hic in terra, Christus primatum habet non solummodo ut Deus, ut primogenitus omnis creaturae, sed etiam ut homo, ut primogenitus in multis fratribus, *Rom.* 8, 29, quippe quia generatione sua divina, etiam ut homo, vincit omnes filios Adae, qui non nisi regeneratione filii Dei fiunt, *Tit.* 3, 5, non filii naturales, sed filii adoptivi tantum, *Rom.* 8, 15-17, idque ex virtute sanguinis, quo Christus eos redemit, *Gal.* 4, 5-7. Incarnatione igitur Christus fit, etiam secundum naturam suam humanam, Caput totius humanitatis.

d) Plena autem ac integra verbi significatione fit Christus Caput Ecclesiae sanguine suo in Cruce, cf. Pii XII *Mystici Corporis*: *AAS* 35, 1943, pag. 206. Ibi non solum novo ac gloriosissimo titulo accipit potestatem in omnes creatu-

ras, *Philipp.* 1, 8-10: in Cruce quoque evacuat legem antiquam, ut Iudaeos ac Gentes condat in semetipsum in unum novum hominem (Ecclesiam videlicet), et ambos in uno Corpore reconciliat Deo, *Eph.* 2, 14-16; ibi in sanguine suo condit Novum Testamentum, 1 *Cor.* 11, 25; ibi in sanguine suo acquirit Ecclesiam, *Act.* 20, 28; ibi sanctificans populum per suum sanguinem, fit pastor magnus ovium in sanguine Testamenti aeterni, *Hebr.* 13, 12 et 20; ibi fit summus ille lapis angularis, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum, *Eph.* 2, 21.

e) Nova autem gloria Christo accedit ex resurrectione gloriosa et ascensione mirabili. Illa fit primogenitus ex mortuis ac primitiae dormientium, 1 *Cor.* 15, 17-28, *Col.* 1, 18 coll. *Apoc.* 1, 5, principium resurrectionis futurae, 1 *Cor.* 15, 45, et potestas capitalis Christi splendidum in modum innotescit; hac ad dexteram Dei sedens, gloriose regnat etiam in Ecclesia caelesti, et caput super *omnem* Ecclesiam, reconciliat sive quae in terris, sive quae in caelis sunt, *Eph.* 1, 20-23, *Col.* 1, 18-20.

f) Inter caput et corpus conformitas adsit oportet. Illa conformitas habetur ex una parte, quia Christus nobis similis est in natura humana, immo consanguineus, cf. *Eph.* 5, 30-32 collatis *Gen.* 2, 23 et *Hebr.* 2, 14-16; ex altera parte, quia Christus nos facit consortes vitae suae divinae per participationem quandam mortis et resurrectionis suae, qua cum Christo complantamur in similitudinem mortis, *Rom.* 6, 5; conmorimur 2 *Tim.* 2, 11; consepelimur, *Rom.* 6, 4 et *Col.* 2, 12; conresuscitamur, *Eph.* 2, 6; convivificamur, *Eph.* 2, 5 et *Col.* 2, 13; convivimus, 2 *Tim.* 2, 11; consedemus in caelestibus, *Eph.* 2, 6; conregnabimus, 2 *Tim.* 2, 12.

g) Est autem Christus Caput Corporis Ecclesiae ratione supereminentiae, primatus regii et influxus vitalis.

Supereminet enim Corpori et omnibus eius membris, quia in ipso solo habitat plenitudo divinitatis, *Col.* 1, 19 et 2, 9; quia in ipso sunt divitiae gratiarum superabundantes, *Eph.* 1, 8; quia in ipso sunt omnes thesauri absconditi sapientiae et scientiae, *Col.* 2, 3; tandem quia ipse primogenitus est ex mortuis, *Col.* 1, 18, et sua morte salvator Corporis, quod ut sponsam sanguine suo acquirit, cf. *Eph.* 5, 23 et *Act.* 20, 28.

Titulo igitur omnimodae supereminentiae et iure acquisitionis tamquam Caput corporis primatum tenet, *Col.* 1,

18, vi cuius habet dominium supremum (βασιλείαν) super omnes, et Ecclesia tota ei subicitur ut viro suo regio, cf. 1 *Cor.* 15, 23-28 et *Eph.* 1, 22 atque 5, 23-25.

Sicut autem caput hominis nervis suis influit in totum corpus, ita ut corpus ex capitis influxu habeat virtutem sentiendi seseque movendi, membra omnia ac organa vitaliter colligantur, denique totus organismus in vita sustentetur: sic et Christus-Caput est principium (ἀρχή cf. *Col.* 1, 18) omnis vitae supernaturalis Ecclesiae. Habet enim gratiarum divitias, ut eas superabundet in homines, *Eph.* 1, 8, nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio atque redemptio„ 1 *Cor.* 1, 30. Nulla autem gratia datur nisi secundum mensuram donationis Christi, *Eph.* 4, 7, sive gratiae personales, sive charismata data ad totius Corporis aedificationem et augmentum, cf. *Eph.* 4, 7-16 collato *Rom.* 12, 6. Hoc autem influxu vitali Christus principium est, ex quo totum Corpus augmentum facit et crescit, cf. *Eph.* 4, 15-16 et *Col.* 2, 19.

h) Corpus Christi est essentialiter corpus organicum heterogeneum, in quo membra non eundem actum habent, seu quod ad idem redit, in quo sunt organa plura diversa. Fuse de hac re agit Apostolus: *Rom.* 12, 3-8; 1 *Cor.* 12, 1-31; *Eph.* 4, 7-16 collato *Col.* 2, 19.

In epistola ad Ephesios Apostolus considerat contemperationem Corporis prae ceteris ex institutione Christi, ex cuius donatione sunt apostoli, prophetae, evangelistae (in ordine, ni fallor, ad ecclesias condendas), et pastores et doctores (in ordine ad ecclesias iam conditas), cf. *Eph.* 4, 7-13, col. 2, 20. Eorum opus est opus διακονίας ad οἰκοδομήν Corporis Christi. Sunt quasi artus, iuncturae, nexus (συνδέσματα) quibus corpus instruitur, quibus coagmentetur, et harmonice componatur, ut possit in caritate crescere et augmentum sui facere, secundum mensuram energiae, quam singula componentia in proprio officio exercendo ex Christi donatione possident, cf. *Eph.* 4, 15-16 collato *Col.* 2, 19.

In epistola ad Romanos 12, 3-8 admonet Apostolus eos, qui officio ecclesiastico fruuntur, sive in ordine magisterii, sive in ordine regiminis, sive in cura pauperum. Nulla ratio est, ut singuli sese propter officium suum extollant, vel in eo exercendo exeant limites sibi a fide praescriptos. Nam officia diversa cum gratiis ipsis annexis sese habent ut organa cum propriis suis energiis in corpore uno coniuncta.

Organa autem potius sunt res alterius, quam res sui, cum non sint in bonum proprium, sed in bonum aliorum membrorum. Quare omnes curare debent, ut quisque sese in suo munere contineat et modeste in eo ad bonum totius excellat.

In 1 *Cor.* 12 S. Paulus agit de charismatibus, qua voce comprehendit tum gratias, quibus gaudent ii qui munere apostolatus et pastoratus funguntur, tum vocationes speciales ad opera misericordiae, tum dona specialia miraculosa ex abundantiori effusione Spiritus Sancti. Charismata vocat energemata prout in iis elucet virtus Patris; diaconias prout in iis continuatur diaconia Domini qui venit ministrare, non ministrari; charismata prout in iis splendet charis Spiritus Sancti. Omnia ista charismata diversa sunt, sed omnia sicut operationes organicae sunt in uno corpore et de corpore Christi. Valetudo autem singulorum organorum non solum ad singula organa, sed etiam ad totum organismum spectat. Et ideo debet esse sollicitudo mutua in Corpore Christi et specialis cura membrorum infirmorum: mutua adsit compassio et congaudium. Omnia simul constituunt unum corpus Christi; singula vero sunt membra et quidem μέλη ἐκ μέρους 1 *Cor.* 12, 27, membra secundum partem et positionem, a Deo sibi indicatam in corpore toto [1].

Quamquam igitur in fidelibus ut organis est diversa Spiritus operatio et manifestatio, tamen ut membra aequalia sunt. Iudaei et gentes, servi et liberi, mas et femina, vi baptismatis sunt concorporales eiusdem corporis, conparticipes eiusdem promissionis, coheredes eiusdem gloriae, cf. 1 *Cor.* 12, 13 collatis *Gal.* 3, 28, *Eph.* 3, 6, *Col.* 3, 11.

i) Sicut in corpore humano principium internum vitae et unitatis est anima, sic etiam Corpus Christi principium suum internum habet. Dum membra omnia externe coniunguntur baptismate, 1 *Cor.* 12, 13; *Gal.* 3, 27; *Eph.* 4, 6; professione fidei quam habent in Christum, *Gal.* 3, 26; *Eph.* 4, 6; nexibus hierarchicis a Christo datis, *Eph.* 4, 11-16: principium internum est Spiritus Sanctus, cf. *Eph.* 4, 4: « Unum corpus et unus Spiritus ». Spiritus ille cum ratio est, cur membra ut membra vivificentur, inter sese assimilentur, unificentur in uno corpore, cf. *Rom.* 8, 11 et 1 *Cor.* 12, 13

[1] Locutio ἐκ μέρους aequivalet locutioni ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι, 1 *Cor.* 15, 23.

collato *Gal.* 3, 28; tum etiam, cur organa qua talia, licet diversos actus habeant, tamen harmonice conspirent. Charismata enim omnia operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult, cf. 1 *Cor.* 12, 11.

Spiritus ille est Spiritus Patris et Filii, cf. *Rom.* 8, 9-11: attamen modo specialissimo Spiritus Christi est. Non absque ratione dicitur *Gal.* 4, 6 Deum misisse *Spiritum Filii sui* in corda nostra. Etenim Spiritus, qui Corpus Christi inhabitat, ad mentem S. Pauli tam intime cum Christo connectitur, ut aliquando voces *Christi* et *Spiritus Christi* promiscue adhibeat. Cf. *Rom.* 8, 9: « Si quis *Spiritum Christi* non habet, non est eius; si autem *Christus* in vobis est... » et 2 *Cor.* 3, 17: « Dominus autem Spiritus est; ubi autem Spiritus Domini... » collato 1 *Ioh.* 4, 13. Vide prae aliis Cyrill. Alex., *In Ioh.* lib. IX, cap. 14, 18; *MG* 74 col. 262; Gregor. Naz., *Orat.* 31, theol. 5, n. 29: *MG* 36 col. 166; atque etiam S. Ignat. *Ad Magn.* 15: « Valete, in unanimitate Dei possidentes indivisibilem Spiritum, qui est Iesus Christus ».

Ratio autem, cur Spiritus corporis Christi, speciali ratione Spiritus Christi sit, etiam quatenus Christus est homo, inde fluit quod Spiritus Sanctus modo prorsus singulari inhabitat humanitatem sanctissimam Christi, ut a Christo ipso ex sese veluti ex fonte in alios effundatur. Non enim propter aliam rationem Dominus vocatur « Christus », quam quia prae aliis unctus est Spiritus Sancto, cf. *Luc.* 4, 1 et 18 coll. *Hebr.* 4, 1. Et eodem modo atque ipse Christus de semet ipso dicit, de ventre suo fluere aquas vivas, aquis istis significans Spiritum, cf. *Ioh.* 7, 38-39: haud aliter S. Paulus Christum vocat « petram pneumaticam », ex qua omnes bibunt Spiritum Sanctum, cf. 1 *Cor.* 10, 1-6 collato 1 *Cor.* 12, 13. Ipse autem qui effundit gratias Spiritus Sui in membra Corporis, ipse Christus est: ex divitiis suis superabundat in alios, cf. *Eph.* 1, 8 secundum mensuram donationis, quam ipse determinat, cf. *Eph.* 4, 7. Est et alia ratio cur Spiritus Corporis Christi titulo speciali Spiritus Christi dicatur: datur enim Spiritus Christi, ut membra corporis assimilet Christo Capiti. Spiritus enim est, qui nos efficit filios adoptivos ad imaginem Filii naturalis unigeniti, cf. *Rom.* 8, 12-16 et *Gal.* 4, 6-7; idem quoque Spiritus Domini, i. e. Christi, est, qui nos, revelata facie gloriam Domini speculantes, transformabit in imaginem caelestem Filii, cf. 2 *Cor.* 3, 17-18. Accedit tandem quod ipse Christus est, qui redimendo nos san-

guine suo, nobis Spiritum adoptionis, quo ipsi configuramur, emeruit, cf. *Gal.* 4, 5-7. Videas Pii XII, *Mystici Corporis*: *AAS* 35, 1943, pag. 218-219.

Supra diximus Christum tum alias ob rationes esse Caput corporis, tum etiam ob influxum vitalem. Ex modo explicatis apparet, influxum illum vitalem nil aliud esse, nisi missionem continuam Spiritus Christi cum abundantia donorum spiritualium. Christus mittit Spiritum suum in corpus Ecclesiae, et hac effusione efficit, ut numero idem Spiritus, qui in ipso inhabitat cum divitiis superabundandis, cf. *Eph.* 1, 8, gratiarum, donorum, charismatum, etiam inhabitet singula membra et organa cum donis limitatis secundum mensuram donationis Christi, cf. *Eph.* 4, 7. Sic novissimus Adam fit in Spiritum vivificantem, 1 *Cor.* 15, 45, et omnis, qui adhaeret Domino, unus Spiritus est, 1 *Cor.* 6, 17, ob numero scilicet eundem Spiritum, ungentem tum Caput tum Corpus.

h) Corpus Christi conditur (κτίζειν) in Cruce. Ibi enim Salvator coniungit omnes homines, Iudaeos scilicet atque gentes, in semet ipso, id est in carne sua, in unum novum hominem, id est in unam novam personam mysticam, reconcilians eos in uno corpore, cf. *Eph.* 2, 14-16. Sic coniuncti per Christum in uno Spiritu, scilicet in Spiritu Christi, habent accessum ad Patrem, cf. *Eph.* 2, 17-18, et reconciliantur caelum et terra, cf. *Col.* 1, 20 et *Rom.* 5, 10-11. Haec nova creatura (κτίσις) ratio est, cur desinat Vetus Testamentum in Testamentum novum, cf. 2 *Cor.* 5, 17 et *Gal.* 6, 15. Deus autem, reconcilians sibi mundum in Christo, posuit etiam in aliis reconciliationis ministerium, 2 *Cor.* 5, 18-19.

i) Medium autem, quo homines aggregentur in Corpus Christi, est baptismus. Baptismate homines baptizantur in unum corpus in uno Spiritu, 1 *Cor.* 12, 13: id est inducuntur in Corpus Domini et ibi participes fiunt Spiritus Domini. Nam dum ritu visibili exprimitur symbolice unio cum Capite utpote pro nobis mortuo in cruce, invisibiliter baptizatus potat Spiritum Christi vivificantem, cf. *Rom.* 6, 1-12 et 1 *Cor.* 12, 13. Intrat igitur in novum illum hominem, creatum in cruce, et in illo ipse fit nova creatura.

Quod autem baptismate inchoatur, conservatur Eucharistia, quae est participatio corporis et sanguinis Domini. Quia unus panis et unum corpus omnes sunt, cum omnes de uno pane participent. Cf. 1 *Cor.* 10, 15-17.

5. Non tantum ad mentem Pauli Ecclesia *Corpus Christi* est, sed etiam prout cum capite suo coniuncta supponitur: *Christus*. Notes vocem « corporis » duplici modo intellegi posse: nonnumquam vid. consideratur ut aliquid a capite diversum; nonnumquam ut complexus capitis simul et omnium membrorum. Quod idem accidit in Pauli epistolis. Sic verbi gratia *Eph.* 1, 22 et *Col.* 1, 18 Corpus vel Corpus Ecclesiae sumitur ut distinctum a Capite; 1 *Cor.* 12, 12 vero corpus sumitur ut corpus cum Capite unitum. Quod idem elucet in voce membri: vocamur membra corporis Christi, cf. *Eph.* 5, 30, et etiam membra Christi simpliciter, cf. 1 *Cor.* 6, 15. Iam supra monui corpus etiam supponi pro persona. Clarum autem est corpus pro persona supponi non posse, nisi in quantum etiam caput includat. Hac de causa S. Paulus, ubi agit de Ecclesia ut persona mystica, cum corpus tum caput corporis comprehendit.

Quodsi vero rogas, quodnam sit illud caput, diverso modo respondendum est secundum duplicem rationem, qua Ecclesia « Christus » nuncupatur. Si enim Ecclesia consideratur ut una persona mystica idcirco quod veluti corpus cum Christo veluti capite unitur, breviter ut *Christus-totus*: caput evidentissime est ipse Christus. Si autem Ecclesia consideratur tamquam sponsa Christo Sponso opposita, ita tamen ut ex virtute Spiritus Christi Christo prorsus configuretur, verbo ut *Christus-alter,* caput esse nequit nisi ille qui Ecclesiam nomine Christi suprema auctoritate gubernat; quo sensu v. g. Gregorius XIII, *Salvatoris Domini,* 30 Oct. 1576: *BRT* VIII pag. 148 semetipsum vocat « mystici Corporis Caput ».

Claris verbis S. Paulus Ecclesiam voce Christi exornat 1 *Cor.* 12, 12: « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus ». Textus tam clarus est, ut iam S. Ioannes Chrysostomus, certe non ad pseudomysticismum pronus, ad illum adnotaverit hom. 30, 1: *MG* 61 col. 250: « Ita et Christus, dicit Apostolus. Debuisset dicere: haec enim sequebantur ex praecedentibus: Ita et Ecclesia. Sed Ecclesiae loco Christum ponit ». Ubi vero addit (et cum eo plane consentit Augustinus *De Gen. ad litt.* 11, 24, 31: *ML* 34 col. 441): « Sicut enim corpus et caput sunt unus homo, sic Ecclesiam et Christum unum esse dicit Apostolus », res non ita est evidens. Nam ad mentem Bellar-

mini, *De Rom. Pont.* I, cap. 9 ad obi. tert. necnon *De Conc.* II cap. 19 post med., etiam dici posset: « Sicut enim hypostasis totum corpus sustentat et omnia in omnibus membris operatur, sic ratione Spiritus sui Christus Ecclesiam sustentat, omnia in omnibus membris eius operatur, et Ecclesiam facit quasi alterum Christum ». Et relate ad 1 *Cor.* 12, 12 ultima explicatio videtur verior. Quomodo enim Apostolus dicere potest v. 21: « Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo », si ageret de Capite-Christo?

Absque ullo dubio S. Paulus *Eph.* 4, 15-16 et *Col.* 2, 19 supponit conceptum Christi-totius; *Gal.* 3, 28 autem: « Omnes enim vos unus (εἷς i. e. una persona) estis in Christo Iesu », et *Gal.* 2, 20: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus », conceptum supponit Christi-alterius. Nec semper facile dirimitur, quannam ideam in mente habeat Apostolus, ut v. g. *Eph.* 2, 15, ubi docemur in Cruce unum novum hominem ex Iudaeis et Gentibus exortum in carne Christi; vel etiam in formula Paulina notissima: « in Christo Iesu », ubi saepissime, ni fallor, intelligendus est Christus mysticus.

Idem valet de textu notissimo *Eph.* 1, 23: « Ecclesia, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur », gr. τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσιν πληρουμένου. Si ille textus comparatur cum *Eph.* 4, 15-16 et *Col.* 2, 19, ubi de Christo Capite, sensus est: Christus Caput sine suo Corpore mystico quodammodo non est completus, sed quoad omnes suas operationes, sive in laudem Dei sive in salutem animarum, in variis membris et organis Ecclesiae caelestis et terrestris impletur, ita ut Ecclesia fiat plenitudo Christi. Si vero idem textus comparatur cum *Eph.* 4, 10: « Qui descendit, ipse est, qui et ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia », ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, vox πληρουμένου *Eph.* 1, 23 potius non sensu passivo, sed sensu medio accipienda est, ita ut agatur de Christo sustentatore ratione Spiritus Christi. Aliis verbis etiam locutio: « Ecclesia est pleroma Christi « dupliciter intellegi potest, prout Ecclesia Christum complet, ita ut exoriatur Christus-totus; vel prout Ecclesia a Christo Spiritu suo impletur, ita ut oriatur Christus-alter.

Ambo autem conceptus, licet diversi, tamen intime cohaerent. Nam si Christus dicitur Caput, una ex rationibus est, quia haud aliter ac caput per nervos in corpus influit vim sensitivam et motricem: sic Christus per Spiritum suum

influit in Ecclesiam omnia dona quae sunt in ordine cognitionis, quibus spiritualiter sentimus; et quae sunt in ordine caritatis, quibus nos movemus versus finem ultimum. Si autem Christus dicitur quasi hypostasis Corporis mystici, ratio est, quia Spiritu suo omnia sustentat et per Spiritum suum omnia supernaturalia in omnibus membris Ecclesiae operatur. Ratio igitur cum *Christi-totius*, tum *Christi-alterius* in ultima analysi est Spiritus Christi, qui ut supra vidimus sub *i*, ab Apostolo simpliciter Christus vocatur. « Qui adhaeret Domino, unus Spiritus est », 1 *Cor.* 6, 17: id est: unus cum Christo, vel unus in Christo, quia de Spiritu Christi participat.

Notandum quoque est, quod illa impletio, πληρώσις, qua Ecclesia sive uno sive alio sensu fit pleroma Christi, non unice habetur virtute Spiritus Christi, quatenus est fons gratiarum, quae dantur membris ut membris, sed etiam virtute eiusdem Spiritus, quatenus est fons charismatum, quae dantur membris ut organa sunt, praecipue hierarchica. Cf. Eph. 4, 10-16: « Ut impleret omnia: et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores » etc. Gratiis autem, donis et charismatibus fit, quod Christus quoad omnia: munera messianica, virtutes evangelicas, opera misericordiae, vitam contemplativam ac apostolicam, in omnibus: hierarchia, virginibus ac continentibus, laicis apostolatui et misericordiae studio addictis, quam simillime exprimatur et compleatur.

Sicut autem puer Iesus crevit, sic etiam crescere debet homo ille novus, qui Christus est, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, cum quantitative, donec omnes occurrant in unitatem fidei, tum etiam qualitative, ratione scilicet perfectionis, quae in singulis membris Christi propter conformitatem cum Capite exigitur, cf. *Eph.* 4, 11-14.

Doctrina ea sublimis, qua Christus et Ecclesia ita arcte copulantur, ut constituant unam personam novam, Christi nomine insignitam, non tantum est revelatio divina Paulo communicata, sed quasi prima eius experientia religiosa. Ipse enim S. Paulus narrat, se, indignus ut est vocari Apostolus, ex legis aemulatione persecutum fuisse Ecclesiam Dei, cf. 1 *Cor.* 15, 9 et *Philipp.* 3, 6. Persequentem autem *Ecclesiam Dei*, in via ad Damascum eum circumfulget lux de

caelo, et in terra prostratus audit vocem caelestem: « Saule, Saule, cur *me* persequeris?... Ego sum *Iesus*, quem tu persequeris », cf. *Act.* 9, 4-5; 22, 7-8; 26, 14-16. Saepissime S. Augustinus provocat ad apparitionem Paulo factam, ut probet Ecclesiam Christi nomine insigniri posse: « calcato pede, clamat Caput! ».. Vide exempli causa: *Epist.* 55, 31; 140, 18; 237, 6. *ML* 33 col. 220; 545; 1037; *Tract. in Ioh.* 21, 5, 7 et 57, 13, 1: *ML* 35 col. 1568 et 1790; *In Epist. Ioh.* 10, 9: *ML* 35 col. 2060; *Serm.* 133, 8; 239, 7; 295, 6: *ML* 38 col. 742, 1130 et 1351; *Serm.* 345, 4; 354, 1; 361, 14; 395, 2: *ML* 39 col. 1520, 1563, 1606, 1716; *Serm.* Fr. 3, 4; Mai 20, 2; Guelf. 16, 3: Misc. Agost. I, pag. 205, 312, 494; *In Psalm.* 30, II, I, 3; 39, 5; 55, 3; 67, 25: *ML* 36 col. 231, 436, 648, 830; *In Psalm.* 86, 5; 87, 15; 90, I, 9 et II, 5; 100, 3; 123, 1; 130, 6; 142, 3; 148, 17: *ML* 37 col. 1105, 1110, 1156, 1163, 1285, 1640, 1708, 1846, 1948; *De Civ. Dei* 17, 9: *ML* 41 col. 543. Operae pretium est notare hanc ideam centralem Augustini non esse inventionem doctoris Hipponensis, sed radicari in traditione, cf. Origen., *In Ioh.* 1, 12: *MG* 14 col. 44-45; Athan., *Contra Arian.* 2, 80: *MG* 26 col. 316; Didym. Alex., *De Trin.* 3, 3: *MG* 39 col. 816; Basil., *Epist.* 8, 7: *MG* 32 col. 260-262; Ephraem, *De Poenit.*: ed. Vat. VI pag. 596; Lucif. Carel., *De non parc. derel.*: *ML* 13 col. 995.

Pretiosam observationem facit S. Gregorius Nyssenus in *Vita Moysis*: *MG* 44 col. 386. Dicit enim *saepius* a S. Paulo Ecclesiam vocari Christum. Non dubito quin Nyssenus alludat ad formulam saepius a Paulo adhibitam: « in Christo », vel « in Christo Iesu ».

6. Post resurrectionem mortuorum Christus tradet Regnum Patri: Christus mysticus eiectis omnibus membris indignis et reluctantibus, erit plene subiectus Patri, ita ut iam magis sit Regnum Patris quam Regnum Christi. Pater enim omnes creaturas subiecit Christo homini, ut per Regnum Christi terrestre perducerentur ad Regnum Patris caeleste Opus autem Christi ut opus acquisitionis finem habebit post parousiam. Tunc Christus ut homo totus, Corpus et Caput, plane erit subiectus Trinitati et implentur 1 *Cor.* 15, 28: « Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius (Christus totus) subiectus erit ei, qui subiecit ipsi (Christo Capiti. Vulg.: sibi) omnia, ut sit Deus omnia in omnibus ».

CAPUT SECUNDUM

De momento doctrinae Corporis Christi apud Patres

Pervadit doctrina Corporis Christi totam litteraturam patristicam inde ab initio speculationis theologicae et quidem ita pervadit, ut multa a Patribus conscripta bene intellegi non possint, nisi ab eo qui hanc doctrinam cum omnibus suis modalitatibus bene habeat perspectam. Iam quaedam de momento, in capite quarto de modalitatibus.

1. Patres doctrinae Paulinae summum momentum tribuisse, statim apparet ex modo loquendi. Non solum vocant Ecclesiam Corpus Christi (passim), Corpus Dominicum, cf. August., *Contra Faust.* 22, 93: *ML* 42 col. 463; Paulin. Nol., *Epist.* 23, 7: *ML* 61 col. 261; Gregor. Magn., *Moral.* 13, 36, 41: *ML* 75 col. 1035; *Moral.* 34, 4, 8: *ML* 76 col. 722; *Epist.* 5, 18: *ML* 77 col. 739-740; Sacrum Corpus, cf. Paul. Nol., *Epist.* 24, 2: *ML* 61 col. 287; Leon. Magn., *Epist.* 58, 1: *ML* 54 col. 922; Sacrum Corpus Unigeniti, cf. *Libr. Sacr. Greg.*: *ML* 78 col. 50 et 51: sed et diversis aliis titulis Corpus Christi extollunt. Vide verbi causa Iren., *Adv. Haer.* 4, 23, 7: *MG* 7 col. 1076: « Magnum et gloriosum Corpus Christi »; Clem. Al., *Strom.* 7, 5: *ML* 9 col. 438-439: « Animal magni pretii Dei consecratum »; Gregor. Naz., *Orat.* 6, 1: *MG* 35 col. 722: « Magnum illud et pretiosum Christi Corpus »; Idem, *Carm.* II, 1, 13 vers. 27: *MG* 37 col. 1229: « Magnum Christi Corpus, gloria eximia Regis »; Ioh. Damasc., *De S. Ieiun.* 5, 6: *MG* 95 col. 68: « Pulchrum Christi Corpus Ecclesia »; Hilar., *In Psalm.* 124, 3: *ML* 9 col. 680: « Beata illa dominici Corporis Ecclesia; Zeno, *Tract.* I, 13, 10: *ML* 11 col. 352: « De latere Christi spirituale Corpus spiritualis Feminae effunditur »; Pacian., *Epist.* 3, 22: *ML* 13 col. 1078: « Catholica de viri sui thoro et thalamo non recessit... vos a Matris unicubae Corpore recessistis »; August., *Epist.* 142, 1: *ML* 33 col. 583: « Ecclesia, quae propitio Deo, licet usquequaque porrecta et toto orbe diffusa sit, unum tamen Corpus est magnum unius Capitis magni, quod Caput eius est ipse Salvator... Sub tam excelso Capite, in tam glorioso Corpore persistamus »; *In Psalm.* 34, I, 14: *ML* 36 col. 331: « O Corpus Christi, Sancta Ecclesia »; S. Greg. Magn., *Moral.* 3, 21,

41: *ML* 75 col. 621: « Redemptoris Corpus, Sancta nimirum Ecclesia »; *Moral.* 28, 10, 23: *ML* 76 col. 462: « Sancta Ecclesia, superni sui Capitis Corpus »; *Epist.* 9, 114: *ML* 77 col. 1045: « Unum in Redemptoris nostri Corpore Corpus sumus »; Gelas. I, *Epist.* 14: *ML* 59 col. 89: « Una compago Corporis Christi, quae ad unum Caput gloriosissima dilectionis societate concurrit »; *Adv. Pelag. Haer.*: *ML* 59 col. 136: « Corpus Ecclesiae, quae cum Christo una caro est sacra lege coniugii »; Hormisd., *Epist.* 32: *ML* 63 col. 436: « Ecclesiae venerandum Corpus, quod propria Christus noster passione fundavit »; *Epist.* 76 Epiph. ad Hormisd.: *ML* 63 col. 506: « Unum Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi corpus »; Pelag. I, *Epist.* 2: *ML* 69 col. 395: « Corpus Christi Dei nostri, id est S. Ecclesia »; Bed. Ven., *De Tabern.* 3, 6: *ML* 91 col. 477: « Corpus Summi Sacerdotis »; *In Reg.* I, 12: *ML* 91 col. 722: « Corpus pacifici Regis Christi ». Grimald. Sangall., *Praefat. ex tempore S. Gregor.*: *ML* 121 col. 907: « Unigeniti Dei sacrum Corpus ». — Haec de modo loquendi sufficiant.

2. In libro 21 *Contra Faust. Man.* 8: *ML* 42 col. 392 dicit S. Augustinus ab Apostolo in 1 *Cor.* 12 rem plane magnam et divinam et absconditam doceri. Est igitur doctrina Corporis Christi mysterium. Ex altera parte cum aliis patribus, tum prae aliis Augustino mysterium illud est realitas quaedam, semper et ubique mentibus praesens cordibusque infixa. Docent baptismate homines incorporari, immo inviscerari in Corpus Christi; abhorrent ab haeresi et schismate ut a dilaceratione Corporis sanctissimi; detestantur peccata carnis ut sacrilegium, quo traduntur membra Christi ut fiant membra meretricis; describunt scandala ut infectionem contagiosam Corporis Dominici; applicant illud: « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs te », *Mt.* 5, 29, ad excommunicationem; adhortantur peccatores ad paenitentiam ecclesiasticam, cum sanatio salutifera membrorum aegrotantium non haberi possit nisi in ipso Corpore; incitant ad opera misericordiae spiritualis et temporalis, quippe quibus ipsi Christo benefit in membris suis; delectantur in attribuendo singulis statibus, officiis, ordinibus, gradibus, locum determinatum inter organa Corporis Christi: quae omnia sunt nota, nec difficulter intelleguntur. Nonnumquam vero ista realitas supernaturalis iis ita fit vivide

praesens, ut ad naturalismum quendam accedant, qui certe non est huius temporis. Omittam illud: « calcato pede, clamat Caput », quo S. Augustinus apparitionem Christi in via ad Damascum non semel describit; omittam illud in *Serm. de util. ieiun.* 6, 8: *ML* 40 col. 712, ubi agens de Corpore, quod Caput habet ipsum Dominum et Salvatorem, prosequitur: « Si male te tondeat, irasceris tonsori, quia in capillis tuis non servat aequalitatem: et tu in membris Christi non tenes unitatem? »; nec vitupero illud *In Psalm.* 130, 8: *ML* 37 col. 1709: « Quaerat (unusquisque), sine quo non potest esse in Corpore Christi, aut sine quo male est: tutior est enim in corpore digitus sanus, quam lippiens oculus ». Sed si *In Psalm.* 43, 25: *ML* 36 col. 492 peccatores, utpote molliores et infirmiores, comparantur ventri; si *in Ep. Ioh.* 3, 4-5: *ML* 35 col. 1999 agit de malis humoribus Corporis Christi, evomendis, ut relevetur; si *Serm.* 5, 1: *ML* 38 col. 53 haeretici et schismatici non solum vocantur sarmenta infructuosa, de Christi vite praecisa, sed etiam: quos digessit Ecclesia tamquam stercora: iure quis dixerit esse certos denique fines, quos ultro citroque nequeat consistere rectum. Haud aliter, si S. Gregorius Magnus *In Cant.* 7, 4-9: *ML* 79 col. 534-535 ordinem praedicatorum aequiparat naso et umbilico; vel S. Hieronymus *Adv. Iovin.* II, 30: *ML* 23 col. 341 agens de distinctione membrorum, inter sese opponit oculos et meatus per quos fimus egeritur et urina; vel S. Gregorius Nyss., *In Cant.* hom. 14: *MG* 44 col. 1063-1066 maxillas Corporis Christi vocat sacerdotes, qui bene praeparent totius corporis escam spiritualem: talia certe nos quodam mirore afficiunt. Etiam S. Iohannes Chrysostomus sat plastice procedit *In* 1 *Cor.* 44, 4: *MG* 61 col. 378-379: « Cum corporis membrorum curam tantam geramus, membra Christi (peccatores) negligemus? Ubinam merentur haec veniam? Nam si te non convinco dicens: *membri tui* curam gere, in memoriam tibi revoco, ut saltem metu melior fias, *Corpus Christi.* Nonne horrendum est carnem propriam putrescentem aspicere illamque negligere? Et si famulum habes aut asinum laborantem putredine, illudne diu negligere poteris? Christi autem Corpus scabie videns repletum, praetercurris? ». Quae certe sua audacia non carent; sed etiam demonstrant ideam Corporis Christi Chrysostomo non solum fuisse speculationem theoreticam et abstractam. Alia vide in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 181-182.

3. Summopere delectantur Patres haud pauci unione illa intima qua omnes, etiam inter nos maxime separati, uniamur in Christo. « Unum Corpus efficit Christus » ait Chrysostomus: « Qui Romae sedit, Indos scit membrum suum esse. Quid huic congregationi simile? Et omnium Caput Christus », cf. *In Ioh.* hom. 65, 1: *MG* 59 col. 361-362. Quod nec minus elucet e commercio litterario. Lege v. g. Basilii ad Damasum *Epist.* 70: *MG* 32 col. 433: « Quid enim fiat iucundius, quam homines, tantorum loco intervallo seiunctos, charitatis vinculo videre in unam membrorum harmoniam in Corpore Christi colligari? ». Et ad episcopos Italiae et Galliae, *Epist.* 243, 1: *MG* 32 col. 901-904: « Dominus noster Iesus Christus, cum sui ipsius Corpus dignatus sit appellare universam Dei Ecclesiam, nosque singillatim aliorum invicem membra effecerit, dedit et nobis omnibus ad omnes necessitudinem habere secundum membrorum concordiam; quapropter, etiamsi longissima ab invicem seiuncti sumus habitationibus, tamen coniunctionis habita ratione, vicini inter nos sumus ». Vide etiam *Epist.* 156, 1 et 203, 3: *MG* 32 col. 613 et 741.

Haud minus pretiosa quam speciosa hac in re est mentis communio S. Paulinum inter et S. Augustinum. Scripserat Paulinus anno 396: « Nec mirum, si et absentes adsumus nobis, et ignoti nosmet novimus, cum unius Corporis membra simus, unum habeamus Caput, una perfundamur gratia, uno pane vivamus, una incedimus via, eadem habitemus domo. Denique in omne quod sumus, tota spe ac fide qua stamus in praesenti, nitimur in futurum: tam in Spiritu quam in Corpore Domini unum sumus, ne simus nihil, si ab uno excedamus », cf. *Epist.* 6, 2 (30, 2): *ML* 61 col. 178 (33 col. 121). Arripit ideam S. Augustinus, modo consecratus episcopus, et mutuam separationem deplorans respondet: « O rem non ferendam, nisi a nobis ista discessione non discederemus, nisi unius essemus Corporis membra, unum haberemus Caput, una perfunderemur gratia, uno pane viveremus, una incederemus via, eadem habitaremus domo! Cur enim non etiam iisdem verbis uteremur? Agnoscitis enim, credo, haec esse ex epistola vestra. Sed cur potius haec vestra sint verba quam mea, quae utique quam vera sunt tam nobis ab eiusdem Capitis communione proveniunt? Et si aliquid proprium vobis donatum haberent, tanto magis ea sic dilexi, ut obsiderent viam pectoris mei,

neque a corde ad linguam meam verba transire sinerent, donec tanto puriora, quanta sunt vestra, procederent. Sancti fratres dilecti Deo nostraque invicem membra, quis dubitet nos uno Spiritu vegetari, nisi qui non sentit, qua nobis dilectione vinciamur? ». Cf. *Epist.* 31, 3: *ML* 33 col. 122-123, et *De Spiritu Sancto anima C. M.*, Text. et Doc., Ser. Theol. 7, pag. 20-22. Hoc litterarum commercium hac de re ita pretiosum est, quia inde a Paulini epistola revera incipit in Augustini mente quaedam « obsessio » amorosa ideae Paulinae simul et Paulinianae. Nec dubitat consequentias e theoria praedilecta deducere modo sat originali. Sic v. g. scribit anno 398 (?) ad Eudoxium, *Epist.* 48, 1: *ML* 33 col. 187: « Quando quietem vestram cogitamus, quam habetis in Christo, etiam nos, quamvis in laboribus variis asperisque versemur, in vestra charitate requiescimus. Unum enim Corpus sub uno Capite sumus, ut et vos in nobis negotiosi, et nos in vobis otiosi simus, quia si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra ». Vide etiam, quomodo S. Augustinus defendat furtum litterarium praedicatorum, *De doctr. Christ.* 4, 62: *ML* 34 col. 119; et titulos, quibus alios in Christo honorat v. g. « frater dulcissime, in Domini membris honorande », « Domino dilectissimo et in Christi membris honorabiliter amplectando » cet., verbi causa *Epist.* 71, 1, 2; 96, 1; 99, 1; 180, 1; 192, 2; 208, 1 et 6; 214, 1; 264, 1; 268, 1: *ML* 33 col. 242, 356, 364, 778, 868, 950 et 952, 968, 1084, 1092.

4. Ex patrum scriptis etiam patet, illos considerasse mysterium Corporis Christi tamquam doctrinam non solum quibusdam electis reservandam, sed haud minus usurpandam ut obiectum fructuosissimum praedicationis ecclesiasticae. Saepe saepius Origenes in homiliis suis de Corpore Christi eiusque membris et organis tractat, ita ut *Hom.* 17 *in Gen.* 9: *MG* 12 col. 261 dicere possit: « Superius ostendimus apostolica auctoritate membra Christi dici dignos quosque fidelium, et diversa singulariter membra nominari pro eo, quod unusquisque omni Ecclesiae corpori dependit officium . . . Saepius de membrorum Christi ordine et ratione iam diximus, et ea frequenter in iis locis repetere absurdum videtur », cf. etiam Rufin., *De bened. Patr.* 1, 5: *ML* 21 col. 306-307. S. Gregorius Naz. in orationibus suis, quae au-

diebantur non solum a catholicis, sed etiam ab alienis a fide, haud raro doctrinam Corporis Christi attingit, ut explicet structuram Ecclesiae, exhortetur ad unitatem ecclesiasticam, promoveat opera misericordiae, incitet ad conformitatem cum Christo capite, celebret sanctitatem matrimonii et maiorem virginitatis excellentiam: cf. exempli causa *Orat.* 2, 3-4; 2, 44-45; 2, 98-99; 6, 1-4; 7, 23; 14, 8; 14, 39-40: *MG* 35 col. 409-411; 452-453; 500; 721-728; 785; 868; 909; *Or.* 30, 5-6; 32, 10-12; 37, 7-10: *MG* 36 col. 108-112; 185-188; 289-296. S. Gregorius Nyssenus quoque in *homiliis in Canticum Canticorum*, quas tempore ieiunii ad aures populi πρὸς τὴν δημοσίαν ἀκοήν elaboraverat, cf. prooem.: *MG* 44 col. 764, continuo agit de Ecclesia Sponsa simul et Corpore Christi, praecipue in homilia 7 et homiliis 13-15. Vult describere elegantiam et decorem Corporis in membris eius ac organis, et sic perducere ad maiorem intellegentiam mysteriorum et agnitionem maiorem pulchritudinis Ecclesiae, cf. *Hom.* 8: *MG* 44 col. 952. In libro vero *De perfecta Christiani forma*: *MG* 46 col. 252-286 doctrina ascetica S. Doctoris pro magna parte fundatur in necessaria conformitate Corporis et Capitis. De S. Iohanne Chrysostomo non est cur dicam. Conferri possunt, quae scripsi de Corpore Christo mystico et actione catholica ad mentem auriflui in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 177-210 et 321-373.

Inter Occidentales locum specialem occupat S. Augustinus. Cum alibi in sermonibus, tum maxime in *Enarrationibus in Psalmos* gregi suo doctrinam corporis et Capitis, quibus constituitur Christus totus, inculcat. Scit ipse, se saepe eadem repetere, et sic quibusdam esse molestum, ut alios aedificet. Non omnes legere posse, cum iis non vacet legere vel litteras ignorent. Celeriores igitur intellectu cum tardioribus unam ambulare debere viam, refrenare celeritatem, ne relinquant comites tardiores. Hac de causa se dicere. quod saepius novit se dixisse: Dominum nostrum Iesum Christum, tamquam virum perfectum, et Caput esse et Corpus cet., cf. *In Psalm.* 90, II, 1: *ML* 37 col. 1159, collato 130, 1 col. 1704. Pretiosum etiam est exordium *Enarr. in Psalm.* 138, 1: *ML* 37 col. 1784. Lector perturbatus alium Psalmum legerat, quam qui erat praeparatus ab Augustino. In errore lectoris mavult sequi voluntatem Dei, quam suam in suo proposito; et statim exordium sumit ex sua doctrina praedilecta. Et *InPsalm.* 142, 3: *ML* 37 col. 1846 post expositio-

nem toties iteratam eiusdem mysterii addit: « Tenete hoc, et fixum omnino commendate memoriae tamquam filii ecclesiasticae eruditionis et fidei catholicae, ut agnoscatis Christum Caput et Corpus... ». Similia *In Psalm.* 123, 1: *ML* 37 col. 1640.

Vidimus « obsessionem » illum S. Augustini originem sumpsisse ex epistola S. Paulini Nolani. Mirum igitur non est et illum Sanctum versibus mysterium Corporis Christi decantasse, et quidem in Epithalamio Iuliani et Iac, *Poem.* 25: *ML* 61 col. 633-638. Exposito magno Incarnationis sacramento, sic pergit: vers. 161-197:

O nova ad humanam Domini commenta salutem!
Fit sine concubitu femina feta uterum.
Sponsa viro tantum, non est subiecta marito,
Et genetrix partu, nec mulier coitu.
Foedere erat coniux, sed corpore non erat uxor:
Intemerata viro, mater erat puero.
Grande sacramentum, quo nubit Ecclesia Christo,
Et simul est Domini sponsa sororque sui.
Sponsa quasi coniux: soror est quia subdita non est;
[Christus non domito semina dat gremio.]
Inde manet mater aeterni semine Verbi
Concipiens populos et pariter pariens.
Hinc soror et coniux, quoniam sine corporis usu
Mente coit, cui vir non homo, sed Deus est.
Hac genetrice senex aeque generatur ut infans;
Aetatem et sexum non habet haec soboles.
Haec etenim est benedicta Dei generatio, quae non
Seminis humani, sed generis superi est.
Inde magister ait: Quia iam nec femina, nec mas
In Christo, sed idem Corpus et una fides.
Namque omnes unum Corpus sumus: omnia Christo
Membra, quibus Christus Corporis in Caput est.
Et quia iam Christum induti deponimus Adam,
Protinus in speciem tendimus angelicam.
Propterea hoc opus est cunctis baptismate natis,
Perfectum ut capiat sexus uterque virum:
Et commune caput stet in omnibus omnia Christus,
Tradens in regnum Rex sua membra Patri.
Nubere vel nubi fragilis iam deserit aetas,
Omnibus aeterno Corpore compositis.

Ergo mei memores par inviolabile semper
Vivite: sit vobis crux veneranda iugum.
Illius ut matris nati, quae sponsa sororque est,
Sumite digna piis pectora nominibus;
Et vobis fratres sponso concurrite Christo,
Sitis ut Aeterni Corporis una caro.
Hic vos nectat amor, quo stringit Ecclesia Christum,
Quoque vicissim illam Christus amore fovet.

Hisce versibus conferri possunt ea quae habet S. Prosper Aquit. in *Carm. de Ingrat.* IV vers. 932-972 et III vers. 767-800: *ML* 51 col. 144-146 et 134-136, ubi de Corpore Christi, de vite, de oleastro, de templo mystico, necnon Ps. Tertull. in *Carm. contra Marc.* lib. II cap. 4, ubi de nativitate Sponsae in Cruce, et lib. III cap. 7 et 8, ubi de Ecclesia, Corpore Christi et Matre: *ML* 2 col. 1067 et 1075-1076.

Haec sufficiant. Certe ii supponunt in gregibus suis vividissimam ideam Corporis Christi, quod est Ecclesia, qui ut S. Leo Magnus *Serm.* 63, 6: *ML* 54 col. 357 docent fideles, per baptismum corpus regenerati fieri carnem Crucifixi, vel dicunt cum S. Iohannē Chrys., *In Col.* 2, hom. 6, 4: *MG* 62 col. 139: πάντες ἕν ἐσμεν ἀπὸ τῆς πλευρᾶς τοῦ Χριστοῦ, omnes unum sumus ex latere Christi.

5. Quod ad evolutionem spectat ipsius doctrinae Corporis Christi, luce clarius est Patres hac in re multa maximi momenti contribuisse. In specie haec nota:

a) Multi Patres, praesertim S. Irenaeus, S. Athanasius, S. Gregorius Nyssenus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Hilarius consideravere incarnationem et redemptionem crucis in luce corporis Christi. Omnes autem Patres docent modo speciali Corpus Christi natum esse in Cruce e latere Salvatoris.

b) In luce Corporis Christi multi defenderunt veram humanitatem Filii, utpote Capitis et Vitis corpori et palmitibus in natura humana similis, et veram divinitatem Spiritus utpote fontis omnium gratiarum, donorum, charismatum in Corpore Ecclesiae.

c) Multi profonde dixerunt de habitudine Sacramentorum ad Corpus Christi. Quod non solum valet de Baptismo, Eucharistia, Ordine, Matrimonio; sed etiam de Paenitentia. Praecipue ea quae docent Tertullianus, Cyprianus,

Ambrosius, Augustinus, Gregorius M., Caesaris Arelatensis de publica paenitentia non bene intellegi possunt, nisi ratione habita eorum doctrinae de Corpore Christi. Vulnera non sanantur nisi in corpore, et ubi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Supponit igitur omnis publica paenitentia absolutionem ab excommunicatione, qua quis forte excisus erat a Corpore Christi, quod est Ecclesia.

d) Apud haud paucos Patres iam plenius evolvitur imago Capitis. Omnia quae docentur a scholasticis de Capite, ut corpori simile est in natura, ut fonte nervorum, ut sede omnium quinque sensuum, ut hypostasi quadam totius corporis, fundantur in traditione patristica.

e) Clare proponitur apud Patres ipse Spiritus Sanctus ut principium unitatis et vitae supernaturalis Corporis Christi. Idem numero Spiritus, qui habitat et in Capite et in Corpore, omnia vivificat. Ipse est fons omnium gratiarum donorum charismatum, quo Corpus Capiti assimilatur eique fit complementum. Inde consideratio organica Ecclesiae, in qua omnes unum sunt, tamen quoad officia, status, gradus, ordines diversi. Patribus omnibus Corpus Christi essentialiter est corpus heterogeneum, et praecise ex diversitate in unitate iis apparet splendor et pulchritudo Corporis Ecclesiae. Structuram autem organicam non unice vident in constitutione hierarchica, sed et matrimonio iuncti et ii qui observant consilia evangelica ad mentem Patrum sunt organa pretiosa in Corpore Ecclesiae, haud aliter ac laici, qui sese tradunt operibus apostolicis. Patribus Corpus Christi est Corpus sacerdotale, et ex Capite sacerdotali omnes suo modo participant unctionem et sacerdotium.

f) Mirum in modum Patres urgent Corpus Ecclesiae cum Christo Capite constituere unam personam mysticam. « Unus sumus in Christo; corpus Christi sumus...; unus in Uno sumus », dicit S. Augustinus *En. in Psalm.* 26, II, 23: *ML* 36 col. 211; et locutio doctori Hipponensi tam familiaris « Christus totus, Corpus et Caput », traditio est antiquissima, cf. Clem. Alex., *Coh. ad Gent.* 11: *MG* 8 col. 229: πᾶς ὡς ἕπος εἰπεῖν, ὁ Χριστός. Ex hac theoria et ex verbis Christi *Act.* 9, 5: « Saule, Saule, quid me persequeris? », Patres deducunt Christum loqui posse ex persona Capitis, et etiam ex persona Corporis; et Christo quaedam attribui posse, prout consideratur in se, vel etiam prout una persona est cum suo complemento, quod est Ecclesia. Incredibile dictu

est, quantum hoc principium valuerit tum in disputationibus Christologicis, tum maxime in exegesi praesertim Psalmorum. Notissima hac in re est regula prima Tychonii, qui contra Donatistas invictissime scripsit, cum ipse fuerit Donatista, regula scilicet exegetica de Domino et Corpore eius, qua statuitur Christum dupliciter loqui posse et de eo dupliciter dici posse, scilicet prout gerit personam vel corporis vel Capitis. Cf. Tich. Afr., *Lib. de septem regulis*: *ML* 18 col. 15-19, et August., *De Doct. Christ.*: III, 30, 42 - 37, 56: *ML* 34 col. 81-90. Quamquam Tychonii regula mirum in modum influxerit in posteros, tamen res ipsa est traditio primaeva. Origenes eam saepius applicat. Vide *In Psalm.* 29, 3: *MG* 12 col. 1292-1293; *Comm. Ser. in Mth.* 1, 55, 73, 102: *MG* 13 col. 1601, 1687, 1717, 1753; *In Ioh.* 1, 6 et 12: *MG* 14 col. 32 et 44; *De princip.* 3, 5, 6-7: *MG* 11 col. 331-332; *De Orat.* 11: *MG* 11 col. 450. Prae aliis notes *De princip.* 2, 8, 5: *MG* 11 col. 225: « Denique scio quosdam exponentes illud, quod in Evangelio a Salvatore dictum est: *Tristis est anima mea ad mortem*, interpretatos esse de apostolis, quos veluti meliores reliquo corpore animam suam dixerit. Nam quia multitudo credentium corpus illius dicitur, apostolos veluti reliquo corpore meliores animam intellegi debere dixerunt». Ex hisce verbis enim elucet Origenem suo tempore non solitarium fuisse in applicanda famosa Tychonii regula.

g) Quantopere Patres sibi persuasi fuerint, Ecclesiam Corpus cum Christo Capite constituisse unam mysticam personam, eandemque suo modo theandram, nulla re forsan lucidius demonstratur, quam disputationibus olim exortis, vid. num Ecclesia possit adorari, et utrum dicendum sit: « credo Ecclesiam » an « credo in Ecclesiam ».

Quod ad primam quaestionem spectat, vid. de adorabilitate Ecclesiae, non unice erat controversia cum quibusdam haereticis, qui male interpretantes illud 1 *Cor.* 15, 28: « et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia ut sit Deus omnia in omnibus », docebant pantheismum quendam finalem; sed et clare apparet quaedam discrepantia inter catholicos quoad applicationem regulae primae Tychonii, cf. Origen., *De Orat.* 15: *MG* 11 col. 466 collato *In Psalm.* 98, 5: *MG* 12 col. 1558; Athanas., *In Psalm.* 44, 13: *MG* 27 col. 212; Basil., *In Psalm.* 44, 10: *MG* 29 col. 409; Hieron., *In Isaiam* lib 13 cap. 49: *ML* 24 col. 490 (473); Primas., *In Thessal.* II, 2: *ML* 68 col. 648; *In Hebr.* 12 col. 785; *In Apoc.*

II, 5 col. 833-834. Quod autem ad solutionem quaestionis attinet: negandum est simpliciter quaestionis suppositum, Christum scil. mysticum una adoratione adorari posse. Christo enim physico, i. e. Verbo incarnato, idcirco quod non est nisi una hypostasis et unum suppositum, non nisi una adoratio convenit eademque latriae; Christus autem mysticus (sive eum consideras ut Christum-totum, sive ut Christum-alterum) e pluribus personis exsurgit, quarum una est persona divina (Christus Caput; Spiritus Christi), alterae personae humanae sunt (membra Ecclesiae). Personae divinae convenit adoratio latriae, personis humanis adoratio late dicta: adorationes autem duae illae sunt prorsus diversae et non univoce, sed analogice tantum praedicantur, cf. S. Thomam, *S. Theol.* II-II, q. 84, a. 1 et q 94, a. 1. Quare in unam adorationem coniungi non possunt, et ruit ipsa quaestio. Vide *S. Theol.* III, q. 25, a. 1.

Altera quaestio, utrum credere possimus *in Ecclesiam* et non tantum *Ecclesiam*, cum priore arcte cohaeret. Multum hac in re pendet ab usu loquendi, qui non semper curat logicam et philosophiam. Graeci nullam difficultatem sentiebant in formula πιστεύομεν εἰς ἐκκλησίαν, addunt enim καὶ εἰς ἓν βάπτισμα, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, cet., cf., *Denzinger* 9 et 14. Latini autem dum dicunt: « credo in Deum Patrem... et in Iesum Christum... in Spiritum Sanctum », generatim absque vocula *in* pergunt: « Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem cet. », cf. *Denzinger* 6. Hac de re, dum Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum graece habet: εἰς μίαν ... ἐκκλησίαν, Dionysius Exiguus vertit, *D* 86: « et unam sanctam... Ecclesiam ». Nec tamen apud Latinos est uniformitas, cf. Priscill., *Lib. ad Damas.*: *C. V.* 18, 36-37: « Unum Deum..., Unum Dominum... in Sanctam Ecclesiam, Spiritum Sanctum, baptismum salutare, remissionem peccatorum, in resurrectionem carnis ». S. Hilarius, *Fragm. Hist.* III, 29: *ML* 10 col. 676 profert: « Credimus in Ecclesiam ». In Augustini *De fide et symb.* 10, 21: *ML* 40 col. 193 quaedam manuscripta recensent: « In Ecclesiam, in remissionem peccatorum, in carnis resurrectionem », sicut etiam codices non concordant in Hieronymi libro *Contra Luciferr.* 12: *ML* 23 col. 167. S. Nicetas Romatian., *Explic. Symb.*: *ML* 52 col. 871 dicit: « Sanctam Ecclesiam (,) in remissionem peccatorum, carnis resurrectionem (,) in vitam aeternam ». S. Petrus Chrysol., *Serm.* 57, 58, 60 ac 61

omittit vocem « in », *Serm.* 60 et 62 eam adhibet, cf. *ML* 52 col. 360-375. Ex altera parte Latini aliter afficiuntur formula « credo Deum » et « credo in Deum », cf. S. August., *Tract. in Ioh.* 29, 6 et 54, 4: *ML* 35 col. 1631 et 1782; *Enarr. in Psalm* 38, 12: *ML* 36 col. 424; *Serm.* 144, 2: *ML* 38 col. 788. Si S. Augustinus sibi constat, debet admittere locutionem « credo in Ecclesiam » esse optimam, cum doceat *Tract. in Ioh.* 29, 6: *ML* 35 col. 1631 credere in Christum esse credendo Christum amare, credendo in Christum ire, credendo in eius membris incorporari. Perfracte sese opponunt Rufinus, *Comm. in Symb.* 36 et 39: *ML* 21 col. 373 et 375 (hunc libellum scholastici S. Leoni Magno adscribebant) necnon Ps. Paschasius Diac., *De Spir. Sancto* 1, 1: *ML* 62 col. 11. Distinctiones adhibent S. Petrus Chrysol., *Serm.* 59 et 62: *ML* 52 col. 365 et 375; S. Max. Taur., *Tract. in Bapt.* 2: *ML* 57 col. 776, collato *Hom.* 83: *ML* 57 col. 437; S. Hildefons. Tol., *De Cognit. Bapt.* 38: *ML* 96 col. 127. In aliquibus locis in Symboli loco ordinario videtur omissum esse illud « Sanctam Ecclesiam », addito autem in fine « per Sanctam Ecclesiam. Amen ». Cf. *Concil. V Carth.* sub. Cypr., 2: *ML* 3 col. 1040: « Credis in vitam aeternam et remissionem peccatorum per Sanctam Ecclesiam? », collatis August., *Serm.* 215, 9: *ML* 38 col. 1076 et Fulg. Rusp., *Contra Fabian. Ar.*: *ML* 65 col. 826-827. Vide etiam *S. Th.* II, II, q. 1, art. 9, ad 5 collato q. 2, art. 2, cum commentariis theologorum; necnon *Catech. Rom.* de art. nono symb. num. 22 collato num. 1. De Scholasticis Grabmann, *Die Lehre des hl. Thomas von Aq. von der Kirche als Gotteswerk*, Regensburg 1903, pag. 119-122.

CAPUT TERTIUM

De origine locutionis « Corporis Mystici »

Aliud est Corpus Christi, natum ex B. Maria Virgine; aliud Corpus Christi, quod est Ecclesia. Inde iam ab initio desiderium distinguendi unum ab alio terminologia quadam clara.

1. Nonnunquam Ecclesia vocatur « Corpus spirituale ». Sic v. g. Clemens Alex., *Strom.* 7. 14: *MG* 9 col. 522: « Cor-

pus pneumaticum, id est sancta Ecclesia », collato *Strom.* 7, 11 col. 496: « pneumatica Ecclesia ». Tertull., *Adv. Marc.* 5, 8: *ML* 2 col. 490: « Corpus Spiritus » dicit Ecclesiam, dum 5, 19 col. 520 « corpus spirituale Christi » i. e. Ecclesiam, « corpori carnali Christi », i. e. ipsi humanitati Domini opponit. Eodem modo S. Gregorius Magnus, *Moral.* 34, 4, 8: *ML* 76 col. 722 Ecclesiam nuncupat « Spirituale Corpus Dominicum » et S. Zeno, *Tract.* I, 13, 10: *ML* 11 col. 352: « Spirituale Corpus spiritualis Feminae ». S. Augustinus, *De Civ. Dei* 13, 23, 2-3: *ML* 41 col. 397-398 speciali modo Corpus gloriosum Ecclesiae caelestis « corpus spirituale » nuncupat. Locutio ipsa, licet in ore Tertulliani conceptum falsum possit includere, per se optima est. Docet enim S. Paulus *Eph.* 4, 4 nos esse « unum Corpus et unum Spiritum », et ad mentem S. Augustini *Serm.* 71, 28: *ML* 38 col. 461 secundum *Philipp.* 2, 1 Ecclesia est « societas Spiritus ». Accedit, quod auctore 1 *Petr.* 2, 5 Ecclesia est « domus spiritualis », οἶκος πνευματικός; quod autem affirmatur de domo, negari nequit de Corpore et Sponsa. Hac de re Eusebius *Ecloge proph.* 3, 6: *MG* 22 col. 1129 loquitur de « Sponsa pneumatica »; *ibid.* 3, 31 col. 1157 de « Templo pneumatico »; 4, 13 col. 1217-1220 de « Sion pneumatico »; *In Luc.* 13, 20: *MG* 24 col. 565 de « Pane pneumatico ». S. Cyrill. Alex., *In 1 Petr.* 2, 6, 7: *MG* 74 col. 1013 secundum placita Pauli apostoli Ecclesiam dicit « unitatem pneumaticam ». S. Augustinus, *Epist.* 34, 3: *ML* 33 col. 132 haud aliter ac Facund. Herm., *Pro def. 3 Cap.* 12, 4: *ML* 67 col. 845 Ecclesiam laudat « Matrem spiritualem ». Primasius et Beda, uterque *In Apoc.* cap. 1 Ecclesiam caelestem voce spiritualis exornant, cf. *ML* 68 col. 802 et ML 93 col. 136. Etiam Pius pp. X *In Diem Illum,* 2 Febr. 1904: *ASS* 36 pag. 452 Corpori Christi *concreto* opponit corpus *spirituale,* seu *ut aiunt mysticum.*

2. Aliquando Patres loquuntur de mysterio (sacramento) Ecclesiae, de mysterio Christi, de mysterio Corporis Christi, qua in re certe influit *Col.* 1, 24-29. In *Didache* 11, 11 vituperatur propheta ποιῶν εἰς μυστήριων κοσμικὸν ἐκκλησίας, μὴ διδάσκων δὲ ποιεῖν. Origenes docet *In Ierem.*, 18, 5: *MG* 13 col. 473 nos omnes plantatos esse in Christo et addit illos, qui bonos fructus non faciant in Ecclesia, inutiliter occupare « terram bonam, Christum, mysterium Ecclesiae ».

S. Cyrill. Alex., *De ador. in spir. et veritate* 2: *MG* 68 col 237 agit de « mysterio Christi » i. e. de « mystico connubio » Christi eiusque Sponsae. Ps. Chrysost., *Opus imperf. in Mth.* hom. 1: *MG* 56 col. 621 dicit quidem: « Salomon et Roboam in mysterio Christi fuerunt: quodsi in mysterio Christi fuerunt, et in mysterio populi Christiani... Salomon in mysterio populi fuit bene incipientis, Roboam autem in mysterio populi male finientis », sed loco citato mysterium nil aliud significat quam praefigurationem. S. Hilarius *In Psalm.* 125, 6: *ML* 9 col. 688 docet Christum ipsum esse Ecclesiam, cum per sacramentum Corporis sui in se universam eam contineat, et *In Psalm.* 138, 31 col. 808 loquitur de « mysterio, quod est Christus in nobis ». S. Augustinus observat *Annot. in Iob.*: *ML* 34 col. 873 etiam malos subiectos esse « Sacramento Corporis Christi », id est Ecclesiae auctoritati, et S. Leo Magn., *Epist.* 84, 2: *ML* 54 col. 922 docet eos esse « extra sacramentum Corporis Christi », qui sunt « extra unitatem nominis Christiani ». S. Beda *In Act. Ap.* 10: *ML* 92 col. 967 agit de iis « qui pertinent ad mysterium Ecclesiae Catholicae ».

3. Ex praedictis mirum non est vocem « mysticum » applicari ad Ecclesiam eiusque synonyma vel imagines. S. Augustinus *Serm.* 252, 7: *ML* 38 col. 1175: « Ecclesia beata mystica »; S. Gregorius Nyss., *De Bapt.*: *MG* 46 col. 421: « populus mysticus » i. e. Ecclesia seu Corpus Christi; Ephr., *In Iud.* ed. Vat. I pag. 321: « Sponsa mystica »; S. Hieron., *Dial. c. Pelag.* 2, 25: *ML* 23 col. 591 (565): « Templum mysticum ». S. Cyrillus Alex.. *In Ioh.* 1, 14: *MG* 73 col. 161 unionem in Corpore Christi vocat « unionem mysticam ». S. Ambrosius vero *De Elia et Ieiun.* 10, 36-37: *ML* 14 col. 710 et *In Ps. 118, serm.* 20, 2: *ML* 15 col. 1483 Christum dicit « Caput mysticum » et S. Beda, *In Sam.* 3, 9: *ML* 91 col. 657 agit de «mysticis Christi sicut et Ecclesiae membris».

4. Mirum est eos, qui locuti sunt de templo mystico, sponsa mystica, populo mystico, capite mystico, membris mysticis numquam adhibuisse formulam « Corporis mystici », quae ut ex praecedentibus patet quasi sponte profluit a traditione. Generatim admittitur Gulielmum Antisiodor. primum fuisse, qui distingueret inter « Corpus Christi naturale » et « Corpus Christi mysticum et gratuitum », cf.

Summ. Aur. III tract. 1, cap. 4, q. 5, ed. Par. 1500 fol. 116 B, collato IV fol. 257 C, ubi notes vocem Corporis gratuiti iam praeludi a S. Zenone II *Tract.* 50, 6: *ML* 11 col. 507 dicente cunctos esse in unam Corporis Christi gratiam congregatos. Libellus enim, Cypriano adscriptus, *De duplici martyrio*, ubi cap. 28 et 37, cf. *ML* 4 col. 898 et 903, commemoratur *mysticum corpus Christi*, est pia fraus, probabiliter Erasmi. Et licet locutione certe iam usus sit saec. 9° Ratramus Corb., *De Corp. et Sang. Dmni* cap. 95: *ML* 121 col. 168, ut notat C. Lattey, *The Church*, Cambridge, 1928, pag. VII; immo vel prius a. 831 Paschasius Radbertus, *De Corp. et Sang. Dmni* cap. 7: « quibus modis dicitur Corpus Christi »: *ML* 120 p. 1285; imo iam Rabanus Maur. *In Lev.* VI, cap. 18: *ML* 108 col. 492-493; *De sacr. ord.* 19: *ML* 112 col. 1179 et *Epist.* 3, 3 coll. 3, 7: *ML* 112 col. 1513-1517: tamen *loc. laud.* vox unice adhibetur pro Corpore Christi eucharistico, prout illud Corpori e Virgine nato, et Corpori Christi quod est Ecclesia, opponitur. Quos sequitur Guibertus Novig. in libro suo *De pignoribus Sanctorum*, cuius partem alteram *De corpore Domini bipartito, principali scil. et mystico* nuncupavit: *ML* 156 col. 629 sqq. « Corpus mysticum » vel etiam « figuratum », cf. col. 634, et ipse vocat SS. Eucharistiam.

Forsan vox « Corporis Mystici » iam ad indicandam Ecclesiam adhibita est a Theodoreto, *De Provid. Dei* 5: *MG* 83 col. 629. Tractat Episcopus de animalium nominibus, quibus haud raro fideles indicantur sive in bonam partem sive malam. Affert etiam illud *Mth.* 24, 28: « Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae ». Inde deducit, aquilas vocari posse homines altivolantes illos, qui omnibus curis terrestrium liberati, animi oculum incorruptum habeant, et ad corpus mysticum aspirent: τοὺς τοῦ μυστικοῦ σώματος ἐφιεμένους. Forsitan Theodoretus intendit corpus gloriosum; probabilius autem mihi videtur, eum voce « corporis mystici » significare ecclesiam caelestem. Ecclesiam enim caelestem Origenes *In Ioh.* 10, 20: *MG* 14 col. 373 per excellentiam vocat Corpus Christi: « verius et perfectius Corpus Christi », sicut et Euseb., *In Psalm.* 90, 13-14: *MG* 23 col. 1165: « perfectum Christi Corpus ». Etiam S. Augustinus caelestem Hierosolymam « Ecclesiam beatam, mysticam, magnam » nuncupavit, *Serm.* 252, 7: *ML* 38 col. 1175, collato *De Civ. Dei* 13, 23, 2-3: *ML* 41 col. 397-398 et Chromatio, *In Mth.* 10, 3: *ML* 20 col. 353. Quibus addi potest, quod etiam

Ambrosiaster *In Math.* 24, 28: *Journ. of Theol. Stud.* 1903-1904 pag. 230 in textu: « Ubicumque fuerit corpus, ibi etc. » vocem corporis dictam putat de Corpore Christi, quod est Ecclesia.

Alius textus graecus antiquior, ubi invenitur vox τὸ μυστικὸν σῶμα τοῦ Χριστοῦ, habetur apud S. Maxim. Conf., *Ambig. lib.*: *MG* 91 col. 1377. Vocat autem Sanctus « corpus Christi » sensu figurato totum hominem cum omnibus potentiis suis spiritualibus et sensitivis, quatenus gratia Christi sanctificantur. Quare qui veram vitam asceticam et supernaturalem ducit, est quasi alter Joseph Arimathaeus, « mysticum Christi corpus (fide in proprio corde) sepeliens».

Quidquid sit de duobus testimoniis graecis: modus loquendi « Corpus Christi mysticum » pro Corpore Christi, quod est Ecclesia, videtur originis latinae. Inde autem a bulla Bonifacii VIII *Unam Sanctam*, data anno 1302, locutio *Corpus Mysticum* etiam adhibetur in documentis Ecclesiae officialibus, cf. infra in sectione ultima.

Haec sufficiant de origine vocis « Corporis Mystici ». Iam agendum de conceptu in traditione non semper stabili, sed pluriformi, quod mirum non est consideranti quae supra de Sponsa disseruimus.

CAPUT QUARTUM

De Conceptu Corporis Mystici eiusque variationibus per decursum Traditionis

1. Conceptus Corporis Christi mystici in traditione non semper eadem ratione et eadem extensione accipitur. Quod bene notandum, ne oriantur confusiones, ut de facto confusiones exortae sunt usque ad schisma et haeresim. Conceptus autem omnes in hoc conveniunt, quod supponunt unionem aliquam Filium Dei inter et creaturas. Quomodo vero conceptus differant, ulterius explicabimus, praemisso schemate generali.

I. *Unio cum Filio Dei.*

A. Coniunctio cum Filio Dei, ratione Logou.

a) Omnium creaturarum, praecipue rationabilium cum Verbo, ratione ipsius Verbi.

b) Omnium fidelium sive Ecclesiae, cum Verbo Incarnato, ratione tamen ipsius Verbi, ut Dei.

B. Coniunctio cum Filio Dei incarnato, ratione gratiae Capitis, seu Spiritus Christi.

a) Omnium creaturarum rationabilium, angelorum et hominum.

b) Omnium hominum in specie.

1. Coniunctio humanitatis ratione incarnationis tantum, seu natura prius ad sacrificium crucis (unio disponens ad effusionem Spiritus).

2. Coniunctio fidelium ratione incarnationis et redemptionis, seu posterius ad sacrificium crucis (communicatio Spiritus).

α) Unio cum fidelibus tum Veteris, tum Novi Testamenti (Ecclesia universalis seu Ecclesia ad Abel).

β) Unio cum fidelibus Novi Testamenti in specie (Ecclesia Christi per excellentiam).

II. *Unio cum Redemptore in continuando opere Redemptionis.*

Hac unione constituitur illa societas supernaturalis, qua opus Christi singulari ratione perenne fiat. Etiam hic apparent varii traditionis aspectus:

A. Ratione membrorum sanctificandorum:

a) Ecclesia Sanctorum (Ecclesia quae in Sanctis est): seu Communio Sanctorum ratione gratiae sanctificantis (gratiae Capitis sensu limitato) et perfectioris conformitatis cum Capite.

b) Ecclesia praedestinatorum (Ecclesia qua in praedestinatis est): seu unio electorum ratione praescientiae divinae.

c) Ecclesia fidelium (Ecclesia quae in fidelibus est): seu Communio Sanctorum ratione Spiritus Christi (gratiae Capitis sensu pleno), quatenus Spiritus in singulis membris Corporis ecclesiastici operatur variis gratiis, donis, charismatis pro capacitate et sanitate singulorum membrorum.

B. Ratione organorum sanctificantium vel disponentium ad sanctificationem:

a) Ecclesia prout constructa ex cellulis homogeneis (Ecclesia ex ecclesiis).

b) Ecclesia prout instructa organis heterogeneis (Corpus organice compositum).

1° Corpus Ecclesiae consideratum ut organismus ab Hierarchia distinctus veluti corpus a Capite; Caput plenum est Christus una cum Hierarchia.

2° Corpus Ecclesiae consideratum, inclusa Hierarchia, ut corpus organicum cuius Christus sit Caput.

C. Ratione Statuum sanctificationis:

a) Ecclesia militans: Corpus Christi nondum plene Capiti subiectum; nondum subiens perfecte Capitis influxum; in quo debent meritorie adimpleri quae desunt passionum Christi.

b) Ecclesia patiens: Corpus Christi plene Capiti subiectum; nondum subiens perfecte influxum Capitis; passionibus satisfaciens.

c) Ecclesia triumphans: Corpus Christi gloriosum plene Capiti subiectum, perfecte subiens influxum Capitis (quoad animas iam ante diem iudicii, quoad corpora post diem illum), consors gloriae Christi.

d) Ecclesia militans, patiens, triumphans, ante diem ultimum inter sese coniunctae ut communitas bonorum spiritualium: Communio Sanctorum sensu primigeno.

D. Ratione auxilii indirecti reipublicae in opere sanctificationis:

a) Ecclesia ut societas supernaturalis opposita reipublicae, ut est societas naturalis.

b) Ecclesia considerata ut unio harmonica potestatis spiritualis et temporalis (respublica Christiana).

En divisio. De singulis erit accuratius dicendum.

2. Haud raro a Patribus, Paulum sequentibus *Col.* 1, 15-16, Logos consideratur, ut primum principium pervadens creaturas omnes in caelis et in terra, visibiles et invisibiles, praecipue rationales. Pervadit autem Logos omnia cum ut supremus rector, providentia sua sapientissima omnia dirigens et ad finem perducens, tum etiam ut illuminator, sapientiam, scientiam, veritatem suam ita manifestans in creaturis, ut omne quod ratione gaudet ei adhaere-

re debeat veritatis agnitione. Etsi illa manifestatio Verbi Divini suum culmen attingit in incarnatione, tamen modo imperfectiori incarnationem praecedit. Cf. Clem. Alex., *Strom.* 4, 25 et 7, 2: *MG* 8 col. 1365 et *MG* 9 col. 408-416; Athan., *Orat. c. Gent.* 41-47: *MG* 25 col. 81-96; *De Incarn. Verbi* 41-42 collato 45: *MG* 25 col. 168-172 et 176-177; Euseb., *De laud. Const.* 12: *MG* 20 col. 1385-1397; *Dem. Evang.* IV, cap. 2, 4 et 6: *MG* 22 col. 253-268; *De Eccl. Theol.* 13: *MG* 24 col. 849-851; Ambros., *In Psalm.* 118, III, 20: *ML* 15 col. 1229. Vide etiam Orig., *In Psalm.* 36 hom. 2, 1: *MG* 12 col. 1330; Hilar., *In Psalm.* 91, 4: *ML* 9 col. 496 et Hieron., *Epist.* 59, 5: *ML* 22 col. 589.

Idea haec Patribus utilissima erat disputantibus contra pantheistas Stoicos atque Neoplatonicos. Ex ea originem ducit consideratio quaedam Ecclesiae, ut Corpus Christi est, Origeni speciali modo propria. Considerat enim aliquotiens fideles ut Corpus Christi, ab ipso Verbo unificatum et animatum. Divinitas enim Verbi habitat in omnibus hominibus fidelibus, tamquam anima quaedam, singularissima vero ratione in humanitate ipsius Christi, qui ratione specialis huius inhabitationis fit Caput totius Ecclesiae. Cf. *Contra Cels.* 6, 48: *MG* 11 col. 1374 collato 2, 9 col. 808-812 et *In Ioh.* 6, 15: *MG* 14 col. 252-253; *De Princip.* 4, 29: *MG* 11 col. 403-404; *In Lev.* hom. 7, 2 et 16, 7: *MG* 12 col. 481-482 et 574; *In Num.* hom. 9, 9: *MG* 12 col. 635; *Prolog. in Cant.*: *MG* 13 col. 72; *Comm. Ser. in Mth.* 65 et 73: *MG* 13 col. 1703 et 1717. Vide etiam Athan., *De Inc. Verbi* 41-42: *MG* 25 col. 168-172, et eundem de alia sententia Origenis *Epist. ad Serap.* 4, 10: *MG* 26 col. 650-651; necnon Ambros., *In Psalm.* 118, III, 20-21: *ML* 15 col. 1229-1230; *De virg.* 11, 63: *ML* 16 col. 282; *De fug. saec.* 3, 16: *ML* 14 col. 578; *Epist.* 76, 12: *ML* 16 col. 1262.

3. Diximus de Corpore Mystico ratione Verbi inhabitantis. Diversa consideratio est, ubi unitas Corporis Christi ponitur in effusione gratiae Capitis, seu quod ad idem redit, in effusione Spiritus Christi. Transitum ab una idea in aliam vide apud Cyrill. Alex., explicantem verba Iohannis: « Et habitavit in nobis », *In Ioh.* 1, 14: *MG* 73 col. 161 et apud Ambrosium *In Psalm.* 118 necnon *De virg.*, loc. laud. Hic autem modus considerandi, fundatus ut vidimus in doctri-

na S. Pauli, cf. supra pag. 80, non minus Origeni quam aliis Patribus omnibus est familiarissima. Quod singulari modo elucet ex exegesi *Psalmi* 132, 2: « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti eius ». Applicant enim Patres totum hunc versum Corpori Christi, dum in Capite repraesentant Christum, in barba apostolos eorumque successores; in vestimento et oris vestimenti fideles omnes ad minimos usque; in oleo Spiritum Sanctum vel charitatem fraternam, quam donat Spiritus. Cf. Origen., *Contra Cels.* 6, 79: *MG* 11 col. 1417-1420 (Spir. S.); *In Psalm.* 132, 2: *MG* 12 col. 1652 (Spir. S.); Athanas., *In Psalm.* 132, 1-3: *MG* 27 col. 524 (Spir. S.); Euseb., *In Psalm.* 132: *MG* 24 col. 28 (caritas); Hilar., *In Psalm.* 132, 4-5: *ML* 9 col. 747-748 (caritas) collatis *In Matth.* 14, 19 et 15, 10 et 17, 3: *ML* 9 col. 1003, 1007, 1015 (Spir. S.); August., *Enarr. in Psalm.* 132, 7: *ML* 37 col. 1733 (Spir. S.); Prosp. Aquit., *In Psalm.* 132, 2: *ML* 51 col. 381 (Spir. S.); Iust. Urg., *In Cant.* 1, 3: *ML* 67 col. 963 (Spir. S.); Cassiodor., *In Psalm.* 132, 2: *ML* 70 col. 955-956 (Spir. S.). Idem docent Patres, ubi dona Spiritus Sancti (cf. *Isaiam* 11, 2 collato *Luc.* 4, 17-19) ita Messiae communicata proponunt, ut ex ipso tanquam fonte redundent in Corpus Ecclesiae. Vide v. g. Iren., *Adv. Haer.* 3, 17, 1-3; *MG* 7 col. 929-930; Novat., *De Trin.* 29: *ML* 3 col. 943-946; Hieron., *In Isaiam* lib. 4, cap. 11, 1-2: *ML* 24 col. 144-145 (148-149) et *Ad Eph.* I, cap. 1, 13: *ML* 26 col. 486-487 (456-457); August., *Serm.* Fr. 1, 17: Misc. Ag. 1 pag. 185; Gregor. Magn., *Moral.* 2, 56, 90-92 et 35, 8, 18: *ML* 75 col. 598-600 et *ML* 76 col. 759; *In Ezech.* II, hom. 7, 7: *ML* 76 col. 1016.

Bene notandum est in hac consideratione unionem Corporis Christi non esse ex Spiritu Sancto simpliciter, sed ex Spiritu Sancto prout est Spiritus Christi, id est prout principaliter habitat in Christo Capite, et secundario in membris Christi, et quidem in iis propter meritum Christi et consequenter secundum mensuram donationis a Christo determinatam. Cf. supra pag. 81.

4. Bene prae oculis posita distinctione inter unionem propter Spiritum Sanctum, et propter Spiritum Christi ut est Spiritus Christi, accedendum est ad considerationem eam

Corporis Mystici, quae propter Spiritum Christi Christo Capiti coniunctos facit non tantum homines, sed et angelos.

Potest autem unio cum Christo Capite, ut homo est, dupliciter considerari: vel complexive tum ratione conformitatis Christi membrorumque eius in una natura visibili humana et simul ratione coinhabitationis Spiritus Christi in Capite et membris; vel exclusive ex sola ratione effusionis et coinhabitationis Spiritus Domini. In aperto est Corpus Christi perfecto sensu haberi non posse, nisi etiam adsit conformitas Capitis atque membrorum in eadem visibili natura. Si igitur ponitur quaestio, utrum Angeli quoque pertineant sensu stricto ad Corpus Mysticum, inquisitio non est, utrum pertineant ad Corpus Mysticum stricto sensu intellectum, sed utrum pertineant ad Corpus Christi late sumptum, sensu stricto i. e. ratione gratiae Christi seu ratione Spiritus Christi. Cf. S. Thom., *S. Theol. III* suppl. q. 95, a. 4.

Nonnumquam Patres Ecclesiam seu Corpus Christi proponunt ut unionem cum hominum tum angelorum in Christo Domino. Origenes *De Princ.* 1, 6, 2: *MG* 11 col. 166-168, collato Hieron., *In Eph.* cap. 4, 16: *ML* 26 col. 535 (502), orationem sacerdotalem Christi: « Ut omnes unum sint », non homines solos sed et angelos respicere existimat. S. Ambrosius, *De excessu fratris* II, 100: *ML* 16 col. 1314 docet per crucem Christi angelorum atque hominum consortia haberi; et *Epist.* 76, 13: *ML* 16 col. 1264 asserit sese arbitrari in Corpore Christi, harmonia Verbi compaginato atque compacto, non solum sanctorum hominum, sed omnium credentium, omnium etiam superiorum rationabilium Virtutum ac Potestatum connexionem fidei spiritusque accipiendam esse. S. Hieronymus, *In Eph. cap.* 2, 19: *ML* 26 col. 506 (475) sq. describens mysticum templum Dei, incongruum putat illa allegoria solos includi homines, dum angeli ab hac felicitate alieni maneant. S. Augustinus *Serm.* 341, 9, 11: *ML* 39 col. 1499 et *Enarr. in Psalm.* 90, II, 1: *ML* 37 col. 1159 Corpus Christi repraesentat ut unionem Ecclesiae peregrinae cum Ecclesia caelesti angelorum, hominum cum civibus angelicis. S. Nicetas in *Expl. Symbol.*: *ML* 52 col. 871 Ecclesiam catholicam describit ut confoederationem magnam angelorum et hominum; S. Gregorius Magn. etiam angelos membra Christi nuncupat *In Ezech.* 1, 8, 28: *ML* 76 col. 867.

Quod si vero rogamus, cur Patres Angelos quoque coniungant Christo Capiti, rationes sunt prorsus diversae.

Conveniunt in eo omnes quod Christus incarnatus est Caput Angelorum ut Deus est, ut Logos, quo et angeli reguntur et illuminantur, Cf. Iren., *Adv. Haer.* 2, 30, 9 et 3, 16, 6: *MG* 7 col. 823 et 926; Clem. Alex., *Strom.* 7, 2: *MG* 9 col. 408-409; Euseb., *Contra Marc.* I, 1: *MG* 24 col. 725-729; Cyrill. Hieros., *Catech.* 6, 6: *MG* 33 col. 545-548; Didym., *In 1 Petr.* 3, 22: *MG* 39 col. 1770. Accedunt etiam testimonia ea omnia, quae supra attulimus, agentes de Verbo Dei per modum principii primi totam creationem pervadente. Etiam S. Gregorius Magnus *In Ezech.* I, 8, 28: *ML* 76 col. 867 vocans angelos membra Christi, videtur unice respicere Christum ut Deus est, cum quo spiritus caelestes divino amore uniantur.

Quamquam certum est Christum ut Deum esse Caput Angelorum, cf. *Eph.* 1, 20-21; *Col.* 1, 16 et 2, 10, tamen ad rem nostram non spectat. Quaestio enim est, utrum Angeli coniuncti sint cum Christo, ut homo est, per Spiritum, ut Spiritus Christi est i. e. a Christo pretio sanguinis meritum in Cruce etiam pro Angelis. Hoc enim negari potest etiam ab eo qui dicit Christum ut Logon esse Caput Angelorum, sicut re ipsa negaverunt e. g. Chrysostomus, *Ad Eph.* hom. 1, 4: *MG* 62 col. 16 et Theodoretus, *Ad Coloss.* 2, 10: *MG* 82 col. 609 et *In Psalm.* 23, 7-10: *MG* 80 col. 1036, cum ambo doceant Christum ut Deum esse Caput Angelorum, ut hominem vero Caput hominum.

Ex altera tamen parte etiam Patres sunt, qui teneant Angelos bonos ex gratia Christi esse sanctificatos et visione beata donatos, vel saltem Angelos bonos non fuisse absque influxu illuminativo Christi ut homo est. Hac in re quaedam habentur, quae cum puritate fidei pugnant, ut notum est.

a) Erronee Origenes *De Princ.* 1, 6, 2: *MG* 11 col. 166-168 verba orationis sacerdotalis Christi « ut omnes unum sint etc. » ita explicat, acsi angeli boni olim essent in peccatum lapsi et a Christo redempti in Cruce. Eundem errorem exposuit ex persona Origenis S. Hieronymus *In Eph.* cap. 4, 16: *ML* 26 col. 535 (503), ita ad iram provocans Rufinum, *Apol.* I, 34, 38-39, 42-45: *ML* 21 col. 573, 575, 577, 580-583. Ipse autem Hieronymus Origenem refutat *Epist.*

96, 10-12: *ML* 22 col. 781-782. Ratio autem, cur Origenes ad errorem pervenerit, non unice est ordinis philosophici, sed magis difficultas exegetica in explicandis istis *Col.* 1, 20 et *Eph.* 1, 10: « reconciliare omnia in ipso; instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt », de cuius interpretationibus antiquis vide Primas., *In Eph.* cap. 1: *ML* 68 col. 609.

b) Alii dixerunt Angelos non quidem esse stricto sensu a Christo redemptos, cum numquam contrarii Deo fuerint, attamen a maculis quibusdam Christi morte fuisse purgatos. Caelos enim ipsos non esse mundos coram Deo teste *Iob* 15, 15 et unum solum esse absque ulla peccati macula: Christum Dominum, cf. Hieronym., *In Ephes.* 1, 22-23: *ML* 26 col. 493 (463) et Cyrill. Hier., *Catech.* 2, 10: *MG* 33 col. 393-396. Quibus consentit Didym. Alex., *In 1 Petr.* 3, 22: *MG* 39 col. 1770, affirmans Angelos purgari debuisse, cum sanctitatem haberent acquisitam tantum, non vero substantialem. Vide etiam Clem. Rom., 1 *Cor.* 39, 4 collato *Iob.* 4, 18 et Gregor. Magn., *In 1 Reg.* III, 6 (cap. 2, 2): *ML* 79 col. 66; sicut etiam Eusebium, *Contra Marc.* 1, 1 *MG* 24 col. 725, ubi dicit Christum, priusquam fieret mediator Dei et hominum, iam mediatorem fuisse Dei et Angelorum.

c) Notum est Angelos non inde ab initio visione beatos fuisse, sed tempus habuisse probationis, in quo mysteria non cognoscebant nisi ex obsequio fidei. Quare auctore S. Basilio, *De Spiritu Sancto* 19, 49: *MG* 32 col. 157 angeli non sunt confirmati in gratia nisi virtute Spiritus Sancti; et S. Gregorius Magn., *In Ezech.* II, hom 2, 5: *ML* 76 col. 952 docet, Unigenitum Dei sursum esse firmitatem Angelorum, sicut deorsum factus est redemptor hominum. Cf. etiam *In 1 Reg.* 3, 6: *ML* 79 col. 66, ubi Angeli dicuntur sanctificati a Filio. Hanc autem confirmationem et perseverantiam S. Cyrillus Alex., *De adorat. in spir. et ver.* 9: *MG* 68 col. 625 evidenter ascribit meritis Christi in cruce. Christum mortuum pro omnium salute; omnes ex plenitudine eius accipere, etiam creaturas invisibiles. Angelos et Archangelos, ipsos quoque Cherubim non nisi per solum Christum in Spiritu Sancto esse sanctos. Hisce verbis, quibuscum conferas obscuriora *In Is.* 54, 1: *MG* 70 col. 1193, quasi respondet S. Doctor aporiae Hieronymi *In Eph.* cap. 4, 10; *ML* 26 col. 531 (499): Angelis profuisse Crucem Christi, modum

autem nobis esse ignotum. Sententia autem S. Cyrilli ex eo facilius intellegitur, quod haud est improbabile tentationem angelorum conexam fuisse cum fide mysteriorum illorum, quae spectant ad incarnationem Christi, qua natura humana quodammodo supra naturam angelicam elevabatur, cf. Didym. Alex., *In* 1 *Petr.* 3, 22: *MG* 39 col. 1770; Chrysost., *Ad Eph.* hom. 3, 2-3: *MG* 62 col. 26-27; *De Imag.* 3, 26: *MG* 94 col. 1348; Leon. Magn., Serm. 73, 4 et 74, 1: *ML* 54 col. 396 et 397; Gregor. Magn., *Moral.* 27, 15, 30: *ML* 76 col. 416. Vide etiam S. Ignat., *Ad Smyrn.* 6 ubi dicitur angelis fore iudicium, nisi credant in Christi sanguinem.

d) Dicit S. Hieronymus *In Eph.* 3, 10-11: *ML* 26 col. 514 (483) sq. mysterium Christi et incarnationis Angelos novisse per Ecclesiam. Ex iis, quae fiant in Ecclesia, decreta abscondita Dei innotescere; et hoc sensu Crucem Christi angelis quoque profuisse propter revelationem sacramenti, quod antea nescivissent. Similia fuse apud Gregor. Nyss., *In Cant.* hom. 8: *MG* 44 col. 948-949. Vide etiam Chrysost., *Ad Coloss.* cap. 1 hom. 1, 2: *MG* 62 col. 301: Theodoret., *In Psalm.* 23, 7-10: *MG* 80 col. 1033. Quarum plura exaggeratione non carent. Demonstrant tamen ex mente Patrum nil obstare quin et Angeli a Christo, Capite Ecclesiae, modo speciali sint illuminati. Conferatur Petav., *De Angelis* I cap. 8: tom. III pag. 648 sqq.

Haec dicta sint de quaestione patristica, num angeli pertineant ad Corpus Christi ratione Spiritus Christi et gratiae Christi. Quaestionis difficultas tempore scholasticorum vel augetur, introducta disputatione de humanitate Christi, ut causa gratiae instrumentali, et de Incarnatione utpote causa finali totius creationis. Vide etiam *S. Th.* III, q. 8, art. 4 cum locis parallelis ibi de more indicatis, quibus addas *In Ioh.* cap. 1, lect. 10, 1.

Non huius loci est aggredi quaestiones scholasticas. Unum solum notatum velim: Etiam si quis negat, Christum passione sua Angelis meruisse in Cruce gratiam: tamen non solum admittere debet, Christum ut hominem ratione unionis hypostaticae et filiationis divinae accepisse primatum super omnes Angelos, *Hebr.* 1, 1-13, et morte sua gloriosa novo titulo hoc primatum exercere, *Philipp.* 2, 10, collato Greg. Magn., *Hom in Evang.* I, 13: *ML* 76 col. 1482, ubi docetur Christum resurgentem etiam Angelos sibi copu-

lasse; sed etiam non obstante sententia sua negativa admittere potest:

a) Christum, ut homo est, *sibi* in Cruce meruisse gloriam, ut esset fons omnium gratiarum, etiam Angelorum;

b) Gratiam Angelis datam fuisse, *ut* glorificarent Verbum incarnatum ob eius infinitam excellentiam; ideoque Christum causam esse meritoriam gratiae Angelorum, non quidem in sensu ordinario efficienti iuridico, sed in sensu finalistico;

c) Omnem gratiam in caelis impertiri Angelis ex donatione et secundum mensuram donationis Christi, quatenus, etiam ut homo est, dona caelestia distribuit.

Dolendum esset, si disputationes scholasticae causae fierent, cur alia veritas quasi oblivioni traderetur: scilicet angelis commissam fuisse specialem curam circa Christum Caput Ecclesiae eiusque Corpus Mysticum, ut ex Sacra Scriptura clare apparet. Vide Origen., *In Num.* hom. 9, 4: *MG* 12 col. 648; hom. 20, 3, col. 733; *Comm. Ser in Mth.* 102: *MG* 13 col. 1753; *In Luc.* hom. 13: *MG* 13 col. 183; *De Oratione* 11: *MG* 11 col. 450; Theodor., *In Cant.* praef. et lib. II, cap. 3, 3-4: *MG* 81 col. 45 et 113-116 Ambros., *Hexaem.* XII, 50: *ML* 14 col. 176; *In Psalm.* 118, I, 9: *ML* 15 col. 1203. Non solum angeli curam peculiarem habuerunt Christi et Petri, non solum omnia membra Corporis Christi suum habent custodem angelum, sed ex traditione antiqua haud improbabile est etiam singulas Ecclesias a propriis angelis custodiri. Cf. *Dict. Théol. Cath.* I pag. 1215-1216. Et hoc sensu intellegi debet confoederatio illa magna hominum et angelorum, de qua S. Nicetas in explicatione Symboli.

5. Iam agendum de Corpore Christi prout significat unionem Christi Capitis exclusive cum iis, quorum per sanctissimam Incarnationem assumpsit naturam. Consideratur autem ea unio in Traditione in signo priori, ut dicunt, et posteriori ad sacrificium Crucis. Distinctio haec arcte connectitur cum alia distinctione famosa, quae est de redemptione obiectiva et subiectiva, nec minus cum iis quae ex posuimus antea de nativitate Sponsae in Cruce, cf. supra pag. 35-41.

Haud raro dicunt Patres, Christum esse incarnatum, ut Sibi Capiti sociaret Ecclesiam Corpus. Vide v. g. S. Cy-

rill. Al., *In Luc.* 22, 19: *MG* 72 col. 909: « sibi sumpsit corpus, ut nobiscum copularetur inseparabili coniunctione », et *In Ioh.* 1, 14: *MG* 73 col. 164: « Templum propter nos ex nobis assumpsit, ut omnes in se ipso habens, omnes in uno corpore reconciliaret Patri ». Cum quibus effatis compares Origen., *Comm. in Matth.* 14, 17: *MG* 13 col. 1232 et Athanas., *Orat. 2 c. Arian.* 74: *MG* 26 col. 304. Eodem modo loquitur S. Augustinus, *Enarr. in Psalm.* 44, 3: *ML* 36 col. 495: « Assumpta est (in incarnatione) Ecclesia ex genere humano, ut Caput esset Ecclesiae ipsa caro Verbo coniuncta, et ceteri credentes membra essent illius Capitis »; *Serm.* 191, 2, 3: *ML* 38 col. 1010: « Unigenitus Dei Filius humanam sibi dignatus est coniungere naturam ut sibi Capiti immaculato consociaret Ecclesiam »; *Contra Faust.* 12, 8: *ML* 42 col. 258: « Factus est per carnem particeps nostri, ut illius Capitis corpus esse possemus ». Verba ultima repetunt S. Beda, *Hexaem.* I: *ML* 91 col. 52; *In Gen.* 2: *ML* 91 col. 210 et Ps. Eucher., *In Reg.* 3, 10: *ML* 50 col. 1116. Alio in loco *Quaest. lib. Reg.* I, 12: *ML* 91 col. 722 S. Beda dicit: « Corpus sacrosanctum de Virgine, ut esset Caput Ecclesiae, suscepit ».

Aliud est autem dicere Verbum incarnatum esse, ut sibi Ecclesiam coniungeret tamquam Corpus Mysticum; aliud in ipsa incarnatione Corpus Mysticum esse constitutum. Ex una parte Patres docent Corpus Christi fundatum esse in Cruce, ex altera parte illud originem sumpsisse in Bethlehem.

Corpus Christi ortum esse in Cruce doctrina, ut ita dicam, sollemnis Patrum est. Eam proponunt prae ceteris sub imagine praedilecta novae Evae nascentis e latere novi Adae dormientis in Cruce, ut testimoniis uberrimis demonstravi in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 502-507, sed etiam sub figura Corporis et unionis mysticae. Sic S. Irenaeus docet *Adv. Haer.* 5, 1-2: *MG* 7 col. 1121 Dominum nos redimisse et dedisse animam suam pro anima nostra et carnem suam pro nostris carnibus et effudisse Spiritum Patris in adunationem et communionem Dei et hominis. S. Iohannes Chrysostomus profert *Ad Coloss.* cap. 2 hom. 6, 4: *MG* 62 col. 342-343 omnes nos unum esse e latere Iesu. S. Cyrill. Alex. saepe saepius proponit ideam Paulinam, in Cruce conditum esse unum novum hominem, societatem scilicet spi-

ritualem omnium hominum in Christo Domino, ut supra exposui pag. 60. Quod idem affirmat S. Caesar. Arel., *Serm.* 40, 4 et 42, 8: *ML* 39 col. 1825 et 1830 necnon S. Gregorius Magn., *Mor.* 35, 8, 18: *ML* 76 col. 759 explicantes, Elisaeum sese inclinantem supra puerum mortuum, cf. 4 *Reg.* 4, 34, eique septies adspirantem, praefigurasse Christum, in cruce per septem dona Spiritus Sancti vivificantem Ecclesiam. Haud aliter S. Hieronymus, *In Eph.* 3 cap. 5, 31: *ML* 26 col. 568 (535): « Quomodo de Adam et uxore eius omne hominum nascitur genus, sic de Christo et Ecclesia omnis credentium multitudo generata est, quae unum Ecclesiae corpus effecta, rursum in latere Christi ponitur »; S. Augustinus, *De Civ. Dei* 10, 6: *ML* 41 col. 284: « Christus se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti Capitis corpus essemus » et *Enarr. in Psalm.* 26, II, 2: *ML* 36 col. 200: « Sacrificium obtulit Deo... tamquam agnus immaculatus fuso sanguine suo redimens nos, concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, ut et in illo nos Christus essemus »; S. Max. Taur., *Hom.* 111: *ML* 57 col. 514 et iisdem verbis Ps. Ambros., *Serm.* 13, 4: *ML* 17 col. 630: « Pretiosus sanguis effusus est, ut admixtione sui omne genus humanum solidaret; ... vigore passionis Christi in ipsius Corpus redacti sumus »; S. Hormisdas *Epist.* 32: *ML* 63 col. 436: « Ecclesiae venerandum Corpus, quod propria Christus noster passione fundavit »; S. Gregor. Magn., *Moral.* 6, 18, 32: *ML* 75 col. 747: « Redemptoris mors ad coniunctionem sui Corporis, id est Ecclesiae »; *In Ezech.* 1, 7, 10: *ML* 76 col. 845-846: « Ex eo quod pro nobis mortem pertulit, omnes nos sibi verius in ipsa sua morte coniunxit »; *Epist.* 9, 114: *ML* 77 col. 1045: « Unum in Redemptoris nostri corpore corpus sumus ». Vide etiam S. Cyrill. Alex., *In Hab.* 52: *MG* 71 col. 928-929 et S. Leon. Magn., *Epist.* 124, 4: *ML* 54 col. 1064-1065, ubi verba Christi apud *Ioh.* 12, 32: « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum », explicant de origine Ecclesiae in Cruce. Accedit quod Patres affirmant Christum in Cruce Ecclesiam suam peperisse, construxisse, aedificasse, formasse, fundasse, consecrasse, in cuius fidem compares *Gregorianum* 13 (1932) pag. 502-507.

Sollemnis igitur doctrina Patrum: Corpus Christi Mysticum constitutum esse per mortem Redemptoris in cruce. Quo non obstante etiam asserunt, licet minus frequenter

et non eadem claritate, Corpus Christi quodammodo originem habere ex incarnatione. Iam supra hac de re egi, exponens imaginem Sponsae pag. 29 et 30, et attuli testimonia Hilarii, Athanasii, Nysseni necnon Leonis XIII. Quibus addi possunt verba Cyrill. Alex., *Thesaur.* 12: *MG* 75 col. 204: « Omnes gesto propter unum templum, quem assumpsi »; August., *De Civ. Dei* 17, 20, 2: *ML* 41 col. 555: « Hic agnoscimus... Verbum in utero virginali domum sibi aedificasse corpus humanum et huic, tamquam Capiti membra, Ecclesiam subiunxisse »; Hieron. (?), *Brev. in Psalm.* 29: *ML* 26 col. 903 (957): « Christus suscepit Ecclesiam, quando humanitatem carnis assumpsit »; Leon. Magn., *Serm.* 26, 2: *ML* 54 col. 213: « Natalis Capitis, natalis est corporis »; Fulgent., *Ad Monim.* 2, 10: *ML* 65 col. 188-189: « Quid vero est illius incarnationis dominicae mysterio factum, nisi ut divisa unirentur et discordia pacarentur? Testis est enim Paulus de Christo *Eph.* 2, 14-19 »; Gregor. Magn. (?), *In Cantic.* 3, 11: *ML* 79 col. 507: « Quando unigenitus Filius Dei divinitatem suam humanitati nostrae copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam suam sibi assumere placuit, tunc cum charitatis exsultatione carnem nostram e matre Virgine suscipere voluit ». Eadem docet etiam Pius Pp. X *Ad diem illum,* 2 Febr. 1904: *ASS* 36 pag. 452-453: « An non Christi mater Maria? Nostra igitur et mater est. Nam statuere hoc sibi quisque debet, Iesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generis servatorem esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum Ille, ut ceteri homines, corpus nactus est: qua vero nostri generis restitutor, *spiritale* quoddam corpus atque, ut aiunt *mysticum,* quod societas eorum est, qui Christo credunt. *Multi enim unum corpus sumus in Christo.* Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator... In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit, et *spiritale* corpus simul adiunxit, ex iis nempe coagmentatum, *qui crediturі erant in eum.* Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus Corporis eius, de carne eius*

et de ossibus eius, de Mariae utero egressi sumus, tamquam corporis instar cohaerentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione et mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostra omnium Mater est... Si igitur Virgo beatissima Dei simul ac hominum parens est, ecquis dubitet ea omni ope adniti ut Christus, *caput corporis Ecclesiae,* in nos sua membra, quae eius sunt munera infundat, idque cum primis ut eum noscamus et *ut vivamus per eum*? ».

Quodsi duos conceptus inter se comparamus, partim conveniunt, partim discrepant. Conveniunt in eo, quod in utroque continetur unio Capitis et membrorum ratione eiusdem naturae et communis originis ex eodem plasmate, scilicet ex sanguine Adae; quam quidem unionem Patres quidam secundum placita sua philosophica multo arctiorem existimabant quam ii qui Aristotelem sequuntur, cf. v. g. Nyssenum *Quod non sunt tres Dii*: *MG* 45 col. 117-120; *De comm. notion.*: *MG* 45 col. 179 et 182; *Contra Eunom.*: 3: *MG* 45 col. 592; Nazianz., *Orat.* 31, 11-12: *MG* 36 col. 145-147; Damasc., *De fide orth.* 1, 8: *MG* 94 col. 818; necnon theoriam sat obscuram Corporis Mystici apud S. Victr. Rothom., *Lib. de laude Sanct.* 7-8: *ML* 20 col. 448. Discrepant vero conceptus duplici ex titulo scilicet ratione iuridica et ratione vitae supernaturalis. Ubi enim agitur de Corpore Mystico concepto in alvo Virginis, membra in Capite inesse censentur ratione repraesentationis vicariae; ubi quaestio est de Corpore Mystico nato in Cruce, (et etiam mox nascendo in Cruce, cf. *Ioh.* 17, 4 et 17, 18), iam supponitur missio Capitis iuridice in missione Corporis continuata. Quod vero ad vitam supernaturalem spectat, vi Incarnationis vita Corporis et membrorum in Capite inest in archetypo eminenti et in fonte adhuc clauso, vi Crucis vita illa communicatur ratione Spiritus Christi, qui numero idem habitat illimitate et superabundanter in Christo, cum operationibus autem limitatis secundum mensuram donationis Christi in Corpore et in membris, et quidem ita ut actu Corpus cum membris suis Capiti assimilet et conformet. De variis titulis unionis ratione Incarnationis am supra dixi pag. 30-31, agens de Sponsa et cum abundantiore documentatione patristica in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 507-513: de unione ratione Spiritus ibidem pag. 504-506 et supra p. 80 et 102. Conferri etiam potest *De Spir. S., anima*

C. M., Text. et Doc. n° 1 et 7. Specialiter in memoriam revoco allegoriam splendidam S. Caesarii Arel. et S. Gregorii, qui in Elisaeo septies adspiranti puero mortuo praefiguratum vident Christum in Cruce per septem dona Spiritus Sancti vivificantem Ecclesiam, cf. supra pag. 113.

Dixi conceptus duos Corporis Mystici, prout unio Capitis et Corporis spectatur in signo priore vel posteriore ad Sacrificium Crucis, arte connecti cum conceptu redemptionis obiectivae et subiectivae. Sicut enim nativitas Corporis Mystici in Cruce necessario praerequiritur ad redemptionem subiectivam, sic eius conceptio mystica in alvo Virginis ad obiectivam redemptionem. Quod ad primum assertum nil dubii, cum nemo particeps fieri possit fructuum redemptionis, nisi baptismate incorporetur in Corpus Christi et sic membrum fiat Crucifixi. Quod ad alterum nota primum, redemptionem obiectivam consistere in ipso Sacrificio Crucis. Sacrificium autem illud natura sua est sacrificium primitiarum. Offerendo suum Corpus sanctissimum, Christus offert pro nobis, quod accepit a nobis, ut nos ex nostro redimat, cf. S. Ambr., *Serm. de Inc.* 6, 54: *ML* 16 col. 832 et testimonia perplura in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 512 et 513, quibus addas Athan., *fragm.*: *MG* 26 col. 1230 et Theodor., *Dialog.* I:*MG* 83 col. 69-72. Offert igitur Christus aliquid desumptum ex genere nostro humano, et quidem aliquid Deo gratissimum, cum in solo Christo innocens sit natura omnium, ut dicit S. Leo Magnus *Serm.* 63, 4: *ML* 54 col. 355. Nota deinde, Christum sese obtulisse in Cruce, non solum ut erat hic homo, sed prae ceteris ut erat Caput humanitatis, novus Adam ex nostro genere et nostro sanguine. Qua talis autem totum genus humanum iuridice repraesentabat et sic quodammodo illud levabat, portabat, in suo corpore vehebat, cf. Cyprian., *Epist.* 63, 13: *ML* 4 col. 383 et Ambros., *In Luc.* 7, 208-210: *ML* 15 col. 1755-1756; qua talis etiam consanguineos suos et connaturales in Corde suo divino continebat amore communis naturae et communis stirpis, amore salvifico, cf. August., *Serm. Guelf.* 9, 1: Misc. Agost. 1 pag. 467; S. Max. Taur., *Serm.* 30: *ML* 57 col. 594; Bed., *In Luc.* 6: *ML* 92 col. 597 collato *S. Th.* I, q. 60, art. 5 ad 1 et I-II, q. 28, art. 1; ita ut S. Bernardus *Serm.* 90: *ML* 183 col. 710 non dubitet asserere Christum plus diligere Corpus suum Mysticum, quam Corpus

proprium. Qua de re Patres docent, nos id est genus humanum, in secundo Adam fuisse oboedientes usque ad mortem, cf. Iren., *Adv. Haer.* 5, 16, 3: *MG* 7 col. 1168; nos in Christo fuisse crucifixos, cf. Origen., *In Ioh.* 10, 20: *MG* 14 col. 372; Cyrill. Alex., *Ad Rom.* 6, 6: *MG* 74 col. 796; Ambr., *In Luc.* 5, 96: *ML* 15 col. 1662; Leon. Magn., *Epist.* 124, 4 et 165, 5: *ML* 54 col. 1065 et 1163-1164; nos in Christo esse mortuos, cf. Athan., *Orat. c. Arian.* 1, 41 et 2, 69: *MG* 26 col. 96-97 et 293; *De Incarn. Verbi* 8: *MG* 25 col. 109; Leon. Magn., *Epist.* 124, 4 et 165, 5: *ML* 54 col. 1065 et 1163-1164; nos in Agno Dei fuisse Deo oblatos, cf. Ephr., *De Poen.*: ed. Vat. VI pag. 169; Athan., *Epist. 1 ad Serap.* 31: *MG* 26 col. 604-605; Chrysost., *In Ioh. hom.* 82, 1; *MG* 59 col. 443 et *Ad Coloss.* cap. 1 hom. 3, 3: *MG* 62 col. 320; nos in Salvatore fuisse Deo mystice in holocaustum concrematos, cf. Ps. Dionys. Areop., *De Eccl. Hier.* 4, 12: *MG* 3 col. 484; nos a Christo exclamante: « Commendo Spiritum meum » in Cruce Deo fuisse commendatos, cf. Athan., *De Inc. c. Arian.* 5: *MG* 26 col. 992; nos in cruce in Christo fuisse sanctificatos, cum in Christo simus ego, i. e. quasi una persona cum Christo, cf. August., *In Ioh.* tract. 108, 5: *ML* 35 col. 1916. Hac de causa Clemens Pp. XIII in instructione sua pulcherrima *A quo die*, quam dedit ad Episcopatum 11 Sept. 1758, sic loquitur ad sacerdotes § 11: « Illud potissimum docendi sunt populi, Christum carnem nostram, nostrae excepto peccato similem... quae omnium nostrum vicem repraesentaret, iustitiae divinae nos itidem obtulisse: eam item et nos eodem tempore omnibus obiecisse cruciatibus, quibus digna erant nostra crimina... Idcirco peccatoribus, quo iustificentur, opus esse mori cum Christo, qui pro illis eorumque nomine mortuus est; cum Christo sepulchrum ingredi... ut per baptismum novus in nobis homo, nova factus creatura novumque figmentum, possit cum Christo ad immortalitatem aeternamque gloriam reviviscere », cf. *Bull. Cont.*, ed Prati, IV pag. 34. Quia autem Christus mortuus quidem est pro omnibus, modo autem speciali pro fidelibus, cf. 1 *Tim.* 4, 10, et modo summe speciali pro Ecclesia, quam acquisivit sanguine proprio, cf. *Act.* 20, 28 atque pro iis, quos miserat, sicut ipse erat missus a Patre, cf. *Ioh.* 17 — fideles enim et Ecclesia ita a Christo amantur, ut quodammodo dici queant Cor Christi

testibus S. Thoma, *In Psalm.* 21, 11 et S. Prosp. Aquit., *In Psalm.* 108, 30: *ML* 51 col. 317 —: hanc ob causam Christus in Cruce non tantum sanctificavit genus humanum, placans iram Patris aeterni in miseros filios Adae, sed peculiari ratione in loco Calvariae sanctificavit Ecclesiam suam eiusque sacram Hierarchiam, cum per unctionem Spiritus Sui, quem Golgothae effundendum meruit in membra sua et corpus suum, eam consecraret Deo et aptam faceret operi divino apostolico. Cf. S. Athanas., *Orat. c. Arianos* 1, 41 et 46: *MG* 26 col. 97 et 107, et S. Bedam, *In Ioh.* 17: *ML* 92 col. 883-884, qui docent in Cruce fideles fuisse Deo sanctificatos; Ps. Dionys., *De Eccl. Hier.* 4, 12: *MG* 3 col. 484, qui asserit eos in Christo moriente fuisse Deo consecratos, ἀφιερουμένους; et praesertim S. Chrysost., *In Ioh.* hom. 82, 1: *MG* 59 col. 443 necnon S. Thom., *In Ioh.* 17 lect. 4 n. 1 et 3, qui ex oratione sacerdotali Christi iure deducunt, Apostolos in Christo sacrificatos fuisse et consecratos et deputatos, ut opus Salvatoris perenne redderent. — Ex quibus omnibus haud obscure videtur, ad mentem Patrum, propter sacrificium Domini Nostri Iesu Christi, praecise prout vi Incarnationis in sese quodammodo continebat totum genus humanum idque in semet ipso Deo obtulit, Patrem odium suum deposuisse erga stirpem Adae, Christum fuisse constitutum Caput in ordine ad Spiritum suum actu communicandum, Ecclesiam Spiritu Christi fuisse Deo sanctificatam atque consecratam.

Ut brevi conspectu comprehendam, quomodo ideae Corporis Mystici tum vi Incarnationis tum vi Crucis, necnon redemptio obiectiva et subiectiva inter sese cohaereant:

a) In Incarnatione Verbum sese unit naturae humanae, et in ea quodammodo toti generi Adae et Ecclesiae (Corpus Mysticum vi Incarnationis).

b) In Cruce Christus semetipsum offert; in semetipso autem ut in primitiis totum genus humanum, et insuper Ecclesiam tempore praedicationis a sese in missione apostolorum quoad partem eius visibilem iuridice inchoatam.

c) Vi huius sacrificii Pater deponit odium erga genus humanum; Filius fit Caput Ecclesiae ratione communicationis Spiritus Sancti; Spiritus Christi informat et consecrat Ecclesiam (Fructus immediati redemptionis obiecti-

vae, cuius effectus immediatus est origo Corporis Mystici vi Crucis).

d) Baptismate homo incorporatur in Corpus Christi in Cruce exortum: fit particeps Spiritus Christi, Corpus Mysticum vivificantis; fit caro Crucifixi, membrum Domini et frater Christi; fit filius Patris et coheres Regni caelestis (Redemptio subiectiva).

Ex modo expositis etiam apparet, quo sensu obiectiva Redemptio generis humani considerari possit ut Redemptio *per modum unionis,* qui modus verbo tenus, minime re ipsa, aliis modis opponitur, dico satisfactionis, meriti, pretii liberativi, sacrificii, efficientiae instrumentalis. Immo ultimus modus in theoria unionis clarius elucet. In cruce enim Verbum in corpore suo coniungit omnes homines, et per humanitatem suam creat Corpus Mysticum, quo omnes subiective salventur. — In modo autem unionis haec sunt elementa principaliora: 1° Christus incarnatur, ut sit Caput Ecclesiae, nos autem membra tanti Capitis; 2° Incarnatione variis titulis in se quodammodo continet membra sua et Ecclesiam, non tamen ita ut Spiritus Christi ex Capite iam possit effundi in alios; 3° In Cruce Christus offert semet ipsum et in se ipso membra sua et Ecclesiam, quatenus cum Eo vi Incarnationis sunt unita; 4° Sacrificio Crucis tollitur ira Dei, quae obstabat, ne Spiritus Christi sese effunderc posset in homines; 5° Eodem sacrificio creatur medium, quo Spiritus Christi abundet in membra; 6ª Redemptio subiectiva fit, eo quod singuli incorporantur in Corpus Christi, et Corpori uniti participant Spiritum Christi vivificantem, quo fiant membra Christi et filii Patris. — Quae si quis bene perspiciat, facile videbit, quomodo etiam in theoria unionis centrum Redemptionis obiectivae maneat Crux Christi, sicut centrum Redemptionis subiectivae est incorporatio in Christum mysticum.

Praedicta, ni erro, auxilio esse possunt, ut theoriae quaedam aliquatenus subobscurae quorundam Patrum Graecorum facilius capiantur; Irenaei vid., Athanasii, Maximi Conf., Nysseni, cui accedit Victricius Rothomagensis.

a) Irenaei doctrina duo elementa includit, quae sese mutuo complent: theoriam plasmatis corruptae ac sanatae necnon theoriam recapitulationis. Theoria plasmatis haec

sibi habet propria. Plasma originale Adae protoparentis incorruptum erat atque immortale in Dei similitudinem. — Peccato Adae plasma illud, ideoque plasma humanitatis, privatur sua integritate et immortalitate. — Cum plasma ex sese incapax sit sanationis propriae, ipsa Incorruptio et Immortalitas sese unit naturae humanae ex plasmate Adae assumptae, et plasma illud particulare incorruptione et immortalitate donat. — Totum plasma Adae conspargitur plasmate a Verbo assumpto. Moriens in Cruce Verbum, ex plasmate assumpto tamquam ex principio, semen immortalitatis et incorruptionis (semen autem Verbi est Spiritus Sanctus) tradit utrique Ecclesiae V. et N. Testamenti, ut per eas totum plasma pervadat. Cf. *Adv. Haer.* praecipue III, 16-21; IV, 31 (unio in Cruce); V, 12-15 et 21-23. Quod ad recapitulationem attinet: recapitulatio in eo est, quod Verbum incarnatum, omnia ad se trahens, omnia in se et per se ad perfectionem definitivam perducit, totamque vitam et oeconomiam utriusque Testamenti in sese continet tamquam in fonte et in paradigmate et in fine, idque eminenter; cf. *Adv. Haer.* I, 10; III, 11 et 16-25; IV, 20 et 38-40; V, 14 et 21-29. Redemptio autem subiectiva ex mente Irenaei non fit nisi baptismate, cf. V, 15, quo homo fit particeps Spiritus Christi, cf. III, 17. Spiritus autem ille vivificans non datur nisi in Ecclesia, cf. III, 24, quae est magnum et gloriosum Corpus Christi et qua talis dignoscitur ex apostolica successione, cf. IV, 33.

b) Systema redemptionis S. Athanasii sic breviter potest comprehendi: Peccato Adae natura humana moritur et consequenter subest corruptioni. — Verbum assumit naturam humanam ex B. Virgine et sic sese unit toti humanitati. — In Cruce Christus moritur et tota humanitas in Eo. — Mors autem Christum corruptione nequit afficere, propter Verbum inhabitans in Christo. — Sic vis mortis frangitur eo sensu, quod iam non capax est prohibere, ne vita nova exoriatur in humanitate. Vita autem illa nova datur, quia incorruptio Christi totum Corpus Christi pervadit. Nam renatos ex aqua et Spiritu Sancto vis Verbi attingit Verboque quodammodo assimilat. Cf. *Or. apol. de Inc. Verbi*, praecipue 8-9; 20-27; 44-45; *Orat. c. Arian.* sparsim praecipue 1, 41; 1, 50-64; 2, 7-69; *De Inc. c. Arian.* 5-8.

c) Nyssenus sic procedit: Tota humanitas est unum

animal, cuius principium et caput est Adam. Nam homines ut homines sunt una substantia et persona, multiplicantur autem prout sunt talis persona et talis substantia. — Peccato capitis Adae animal fit morbosum. — Christus autem assumit nostram massam et in ea delet peccatum, vincit mortem, resurgit ad vitam. Sic tota massa in Christo sanatur, cum propter identitatem massae assumptae et massae totius generis vis resurrectionis δυνάμει massam pervadat. — Non autem pervadit subito, sed per modum medicinae. Sanatio fit obiective baptismate et eucharistia, subiective fide et imitatione Christi. — Sic anima et corpore participantibus vim corporis et animae Christi, homo praeparatur ad resurrectonem corporis et gloriae visionem. — Non-baptizatos, qui fide Christo non adhaerent, virtus Christi tangit materialiter non spiritualiter. Ideoque resurgent, non verum ad vitam. — Processus sanationis totius massae finem habebit in die ultimo. Cf. *Orat. Catech.* 16-37 et *Adv. Apollinar.* 53 et 55, ubi eadem theoria etiam proponitur sub imagine arundinis scissae et sanatae. — Conceptum Ecclesiae hierarchicae ut est Corpus Christi vide *In Cant. Cant.* praecipue hom. 7 et 13 et 14. Vide theoriam, Nysseni theoriae propinquam, apud S. Cyrill., *In Luc.* 5, 19: *MG* 72 col. 908-912, et *In* 1 *Cor.* 15, 3-12: *MG* 74 col. 893-897.

d) Cum theoriis praedictis arcte cohaeret doctrina S. Maximi Conf., qui Christum imprimis considerat ut novum Adamum: Adam peccat voluntarie et eius peccato tota natura humana fit patibilis et mortalis; Christus assumpta natura humana ex sanguine Adae cum patibilitate et mortalitate, voluntarie patitur et moritur, et sic inverso ordine nobis fit principium deletionis peccati. — Baptismo ratione Spiritus, quem Christus nobis communicat, ipsum Christum induimus, cuius virtute mala voluntas sanatur, homo quodammodo divinizatur, et praeparatur ad futuram inpatibilitatem, immortalitatem et gloriam. Cf. *QQ. ad Thalassium* 21, 42 et 61: *MG* 90 col. 312-316, 405-409, 627-641; *Exp. Orat. Dom.*: *ML* 90 col. 879-881; *Cap.* 500 *Cent.* I, 9-14: *ML* 90, col. 1181-1185, et imprimis *Cap. theol. et oec. Cent.* II, 84: *MG* 90 col. 1164, ubi breviter exponit, cur credentes dicantur « Corpus Christi ».

e) Theoriam breviter expositam a S. Victricio Rothomagensi vide in *Lib. de laude Sanctorum* cap. 7: *ML* 20

col. 448-450. Sicut homines sunt una substantia vi naturae, pari argumento debent esse una substantia beneficio adoptionis, et carnis et sanguinis, et Spiritus. Procedit ex eodem fundamento philosophico ac Nyssenus. Magis autem splendet claritate virtutum quam claritate expositionis.

6. Quod si Corpus Mysticum consideratur in signo posteriore ad Sacrificium Crucis, iterum conceptus duo diversi exoriuntur. Scimus enim Christum pro genere humano morientem in patibulo, non solum gratias meruisse credentibus praesentibus et futuris, sed etiam iis qui tempore Christum incarnatum praecesserant. Inde duplex idea Ecclesiae, quae est Corpus Christi; ut terminologia S. Gregorii Magni utar: Ecclesiae universalis et Ecclesiae praesentis. Iam de Ecclesia illa universali quaedam sunt disserenda.

Idea Corporis Mystici, quo omnes in Redemptorem credentes inde ab initio humanitatis usque ad finem saeculi tamquam membra Christi ut una persona moralis considerantur et proponuntur, quantum scio praecipue Latinis est propria. Irenaeus quidem *Adv. Haer.* 4, 31, 2: *MG* 7 col. 1069-1070, tum Ecclesiam V. Testamenti, tum Ecclesiam N. Foederis repraesentat ut Christi filias simul ac sponsas, in Cruce semine Verbi fructificatas, sed et ipsa imagine synagogam maiorem a synagoga minore clare separat. Etiam S. Ioh. Chrysostomus *In Ephes.* cap. 4 hom. 10, 1: *MG* 62 col. 75 luculenter omnes credentes N. Legis Corpus Christi nuncupat, et haud minus eos, qui ante Christi adventum Deo placuere; sed et ipse videtur distinguere duo corpora, ut clare elucet ex *In Psalm.* 8, 7: *MG* 55 col. 117, ubi N. Testamentum ut proprium Christi Corpus supra antiquum Foedus extollit. Clarius idea Ecclesiae universalis apparet apud S. Hippolytum, *In Dan.* 1, 17: Corp. Ber. 1 pag. 28, ubi celebrat Ecclesiam ut coetum iustorum, domum spiritualem, plantationem in Christo factam, cuius arbores sunt patriarchae ab initio mundi, prophetae, apostoli, martyres, virgines, doctores, episcopi, sacerdotes et levitae. Etiam S. Ioh. Damascenus *Adv. Iconocl.* 11-12: *MG* 96 col. 1357 Ecclesiam Catholicam qua Catholicam definit ut coetum sanctorum Patrum, quae a saeculo sunt: patriarcharum, prophetarum, apostolorum, evangelistarum, mar-

tyrum, quibus adiectae sunt omnes gentes concordanter in Christum credentes.

Quod ad Latinos spectat, notanda sunt verba Ambrosiastri, *Quaest. ex V. T.* 3: *ML* 35 col. 2219, dicentis inde ab initio mundi Christianos fuisse, idque propter fidem in Deum et quem misit Iesum Christum. Cui assentit S. Hieronymus *Ad Gal.* lib. 2 cap. 4, 1-2: *ML* 26 col. 396 (370) docens « istum intellectum Ecclesiae Catholicae convenire, quae et veteri et novo Testamento unam asserat providentiam, nec distinguat in tempore, quos condicione providentia sociaverit ». Condicio autem illa omnibus communis in eo est, quod omnes homines sive ante sive post Christum in Ada protoplasto sunt mortui et in secundo Ada vivificati, ita ut sint unum templum et unus panis. Etiam *In Iob.* cap. 42: *ML* 26 col. 846-847 (798-799) S. Doctor affirmat, omnes omnium temporum Sanctos fide incarnationis esse sub uno Christo in Corpore Ecclesiae constitutos, licet solummodo post resurrectionem Christi, in Ecclesia panis Sacramentorum edatur a credentibus. S. Ambrosius *In Luc.* 7, 21: *ML* 15 col. 1705 eandem doctrinam videtur proponere. Dicit enim non solum Moysen et Eliam in Christo unum esse, sed etiam nos. Immo et illos recipi in Christi Corpus, cum et nos unum in Christo simus. S. Augustinus *Serm.* 4, 11-12: *ML* 38 col. 39 omnes Sanctos vocat membra Christi etiam sanctos Veteris Testamenti; immo ipsos qui carnaliter vivant in Ecclesia, potius pertinere ad vetus Testamentum quam ad novum, etiamsi post Christum incarnatum nati sint. *Serm.* 341, 9, 11: *ML* 39 col. 1499-1500 exponit, omnes iustos inde ab Abel usque ad finem mundi, omnes istos constituere unum Corpus, cui Christus sit Caput; et in *Enarr. in Psalm.* 36, III, 4: *ML* 36 col. 385 Corpus Christi Capiti suo unitum proponit tamquam unum hominem, compositum ex iustis, qui ab initio saeculi fuerint. Imagine sat concreta S. Doctor evolvit, quomodo omnes sancti inde ab Abel usque ad parousiam propter Christi fidem sint unica persona mystica. Sicut enim Iacobi manus, priusquam nasceretur, exiverint ex utero, deinde secutum sit caput, tum demum cetera membra, sic et Dominum quaedam membra praecedere, alia subsequi. Cf. *Enarr. in Psalm.* 61, 4: *ML* 36 col. 731 et *De Cat. Rud.* 3, 6: *ML* 40

col. 313-314 necnon Eucher. (?), *In Gen.* lib. 2 cap. 25, 24: *ML* 50 col. 981. Ad eundem *Psalmum* 61, 6 col. 733 S. Augustinus opponit Corpus et Civitatem Christi inde ab Abel corpori et civitati diaboli inde a Cain. Augustinum sequitur S. Nicetas, in *Explan. Symb.* 10: *ML* 52 col. 871 Ecclesiam definiens ut congregationem Sanctorum inde ab exordio saeculi; necnon Cassiodorus *In Psalm.* & praef.: *ML* 70 col. 74 asserens antiquam et novam Ecclesiam esse unam Domini Christi sponsam eius pretioso sanguine conquisitam.

Hipponensis ideam assumpsit S. Leo Magnus et prae aliis S. Gregorius Magnus. Docet S. Leo *Serm.* 30, 7: *ML* 54 col. 234, omnes Sanctos, qui Salvatoris nostri tempora praecesserint, per fidem in Redemptorem fuisse iustificatos, et per sacramentum illud Christi Corpus fuisse effectos, cum exspectassent universalem credentium redemptionem. Alibi *Serm.* 52, 1: *ML* 54 col. 314 affirmat salutiferum Virginis partum non tantum profuisse extremis generationibus, sed etiam sese in praeteritas effudisse aetates. Omnes enim Sanctos Veteris Testamenti iustificatos in fide Redemptoris. Quod ad S. Gregorium Magnum spectat, passim in suis operibus distinguit *Ecclesiam universalem*, cf. v. g. *Moral.* praef. 8, 17-18: *ML* 75 col. 526-527; 3, 17, 32 col. 616 (Ecclesia inde ab Abel); 8, 5, 7 col. 805 (Iob membrum Eccl. universalis); 17, 3, 5: *ML* 76 col. 12 (Christus vir Ecclesiae universalis); *Epist.* II, 47: *ML* 77 col. 587; dein *Ecclesiam praesentem*, quae saltem, si ut adulta consideratur, est Ecclesia apostolica, cf. *Mor.* 19, 7, 13: *ML* 76 col. 104; 19, 12, 19 col. 108 (adulta Ecclesia); *Hom. in Evang.* 12, 1: *ML* 76 col. 1118; 32, 6 col. 1236; 38, 2 col. 1282; necnon *Sanctam electorum Ecclesiam*, cf. *Mor.* 1, 26, 37: *ML* 75 col. 544; 5, 10, 19 col. 689; 13, 41, 46 col. 1037; 20, 30, 60: *ML* 76 col. 173; 26, 40, 73 col. 392; 29, 2, 2-4 col. 478-479; 30, 16, 53 col. 553; *Hom. in Evang.* 24, 3: *ML* 76 col. 1185; 25, 2 col. 1190. Tum Ecclesiam universalem, tum praesentem, tum electorum vocat Corpus Christi. Etenim *Epist.* II, 47: *ML* 77 col. 587 loquitur de Ecclesia universali, quae sit compago Corporis Christi et V, 18 col. 739-740 exponit omnes Sanctos Veteris et Novi Testamenti perficere corpus Domini; *Mor.* vero 28, 10, 23-24: *ML* 76 col. 462 explicat varia officia Ecclesiae praesentis, eamque nuncupat Superni Capitis Corpus; dum *Hom. in Evang.* 31, 8:

ML 76 col. 1232 electorum Ecclesiam caeleste Ecclesiae Corpus vocat. Quomodo vero Patres Veteris Testamenti pertineant ad universalem Ecclesiam, exponit *In Ezech.* II hom. 3, 16-17: *ML* 76 col. 966-967: eos Christum non corporaliter novisse, ideoque foris fuisse non tamen divisos ab Ecclesia; eos mente, opere, praedicatione fidei sacramenta tenuisse, quae nos de facto habemus; illos esse paxillos tabernaculi, foris quidem, in quibus tamen religatum tabernaculum teneatur. Quod idem alia imagine explicat S. Maximus Taur., *Hom.* 79: *ML* 57 col. 423, alludens ad *Num.* 13, 22-25: Iesum Nave et Caleb exploratores terrae repromissae, in phalanga portantes botrum eximium praefigurasse adventum Domini. Botrum esse Christum, phalangam crucem; portantes duos vero populos Novi et Veteris Testamenti; unum praeeuntem non videre Christum, alium subsequentem vero videre Dominum. — Quod si quis prae oculis bene teneat, quid sibi voluerit universalis illa Ecclesia Gregorii, facile intelleget, cur Sanctus Pontifex tam perfracte recusaverit sive pro se sive pro aliis titulum Episcopi universalis. Cf. *Epist.* V, 18; 20; 43: *ML* 77 col. 739 sqq., 744 sqq., 770 sqq.; VII 26 et 33 col. 882 sqq. et 891 sqq. Ideam Ecclesiae universalis praebent etiam Bonif. Pp. IX *Ab origine mundi,* 7 Oct. 1391; Pius Pp II *Rationi congruit,* 1 Oct. 1458; Innocent. Pp. VIII *Sacrosanct. Matrem Ecclesiam,* 6 Ian. 1485; Urban. Pp. VIII *Rationi congruit,* 6 Aug. 1623 (bullae canonizationum!).

Ex praecedentibus etiam clarum est, cur Patres Sanctis Veteris Testamenti in Corpore Christi suum locum non negaverint. Ratio est, quia fide Redemptoris futuri et ipsi erant iustificati. Quare S. Chrysostomus *In Eph.* cap. 4, hom. 10, 1: *MG* 62 col. 75 docet etiam illos in Corpore Christi participasse Spiritum. Ex imagine autem Irenaei, modo allata, duarum Ecclesiarum in Cruce a Christo quae fuerint fructificatae, clare elucet, sicut etiam docetur a Leone XIII *Divinum illud*: *ASS* 29, 1897, pag. 650-651, sanctos Antiqui Foederis iustificatos fuisse Spiritu Christi, sacrificio Calvariae promerito. Ut et in aliis rebus aliquando facit, Ambrosiaster *Quaest. ex utr. Test.* 123: *ML* 35 col. 2370-2372 paulum extra chorum cantat. Sanctos Veteris Testamenti iustificatos quidem esse a Spiritu Sancto, alio modo autem esse iustos homines Antiqui, alio modo Novi Foederis. In

Vetere Testamento Spiritum Sanctum distributum fuisse ut inspiratorem prophetiarum et originem sanctitatis, non verum ut causam filiationis. Dicere etiam ante Christum fuisse filios Dei adoptivos, iniuria esset allata operi Redemptoris; neque Sancti Antiquae Legis apud inferos mansissent usque ad Christi gloriam, si iam Spiritu filiationis fuissent donati. Differentiam etiam statuit Chrysostomus *In 2 Cor.* hom. 7, 1: *MG* 61 col. 443: Vetus Testamentum dedisse vitam; Spiritum vero, fontem vitae, solummodo datum esse sub Nova Lege.

S. Cyrillus Alex. hac in re vel audacius procedit. Etenim *In Ioh.* 7, 39: *MG* 73 col. 756 asserit merita Christi Sanctis veteris foederis non fuisse applicata nisi post mortem Christi. In V. T. Spiritum Sanctum datum fuisse ut fontem charismatum, non vero in remissionem peccatorum. Id enim non accidisse ante diem Pentecostes, si excipis Apostolos iam prius sanctificatos.

Theoriam Cyrilli mirum in modum evolvit in medio aevo Rupertus Abbas Tuitiensis. En breve doctrinae compendium: In V. T. Spiritus Sanctus datur ut fons charismatum tantum, nondum in remissionem peccatorum et filiationem adoptivam. Quare fideles V. T. sese habent ad fideles N. T., ut catechumeni ad baptizatos, solo Baptista excepto. Finito catechumenatu V. T. per mortem Christi, Dominus descendens ad inferos, dat Sanctis in limbo remissionem peccatorum et adoptionem filiorum per modum baptismatis et Eucharistiae. Nam dum aqua e latere Christi fluens attingit eorum corpora sepulta, Spiritus Sanctus attingit eorum animas; e dum sanguis e latere Christi fluens communicat corpora in sepulchris, anima beata Christi communicat animas. Cf. *In Gen.* IV, 1 et V, 28: *ML* 167 col. 325 et 392; *De Spir. Sancto* I, 26-27: *ML* 167, col. 1598-1600; III, 8-10 et 20: *ML* 167 col. 1647-1650 et 1661; *In Mth.* lib. I, II, III, V, VIII, X, XI: *ML* 168 col. 1325, 1357, 1372, 1431, 1481, 1547-1548, 1584; *De glorif. Trin.* I, 11 et 19: *ML* 169 col. 23 et 30; II, 6 col. 37; III, 8-9 et 19 col. 59-61 et 71; IV, 10-12 col. 84-86; *In Ioh.* ep. nuncup.: *ML* 169 col. 204; *In Ioh.* I, VI, VII et XIV: *ML* 169 col. 241 et 247-250; 479-482, 523, 811; *In Apoc.* IX, cap. 15: *ML* 169 col. 1107; *De Vict. Verbi* XII, 11-13: *ML* 169 col. 1471-1473; *De div. off.* VI, 35:

ML 170 col. 176-178; *Dial. Christ. et Iud.* I et III: *ML* 170 col. 570-574 et 598.

S. Thomas fideles N. T. et fideles V. T. ex eo distinguit, quod in iustificatis V. T. manet reatus poenae (et culpae?), non quatenus personam afficit, sed quatenus inficit naturam, qui reatus non deletur nisi morte Christi, beatificantis sanctos V. T. in limbo. De hac re, quae etiam pro Mariologia suo pondere non caret, postea plura in libro de Christo Capite. Interim conferas: *S. Th.* III, q. 27, a. 1, ad 3; q. 49, a. 5, ad 1; q. 52, a. 1, ad 2; q. 52, a. 2, c; q. 52, a. 5, c; q. 57, a. 7, ad 1; *De Symb.* art. descendit ad inferos; *In Matth.* cap. 3, ed. 4 Taur. pag. 51.

Conceptus Ecclesiae inde ab Abel, Ecclesiae universalis sensu Gregorii, seu Corporis Mystici considerati ut coetum constituit omnium Sanctorum, qui inde ab origine mundi usque ad eius exitum iustificantur fide Redemptoris, maximi momenti est, ut intellegatur evolutio totius ecclesiologiae. Apud haud paucos scholasticos ita videtur praeoccupasse animos, ut idea strictior Corporis Mystici, ut apud S. Paulum apparet, iam minorem occuparet locum. Non absque periculo doctrinae. Nam primum unio Sanctorum res est invisibilis, et deinde ille qui modo Augustiano Ecclesiam inde ab Abel considerat ut quandam personam mysticam, numero eandem et sub Vetere et sub Nova Lege, quasi eo ipso eo pervenit, ut organizationem Corporis Mystici a Christo volitam, consideret ut rem aliquam ipsi Ecclesiae quodammodo accidentalem. Neque Suarezius in sua Ecclesiologia sese plane ab hisce ideis liberavit, cf. v. g. *De Fide* disp. 9 sect. 1, 18 et 2, 2 collato tamen disp. 10 sect. 6, 5: ed. Vivès XII pag. 250, 253-254, 317. De universali Ecclesia vide etiam *S. Theol.* III, q. 8, art. 3.

7. Quamquam illi qui sub Vetere Lege credidere in Christum, ut ex ipsa Traditione patet, aliquo sensu possint dici Corpus Christi, tamen sensu multo perfectiori Corpus Christi vocatur Novae Legis Ecclesia. Nam ut ab organizatione abstraham, qua unice in Novo Testamento Christus Dominus secundum omnes suas functiones Messianicas continuatur hac in terra: in Antiquo Testamento unio membrorum cum Christo Capite magis erat in ordine ideali quam

in ordine reali, et quidem ob rationem sat simplicem. Tempore eram Antiqui Foederis Christus nondum erat incarnatus, ideoque cum Christo homine nulla coniunctio realis erat possibilis. Hac de causa iure dicit Chrysostomus *In Psalm.* 8, 7: *MG* 55 col. 117 specialem gloriam habere res Novi Testamenti, quando Ecclesia accipit Christum Caput, eius frater fit et coheres, et Corpus Christi incipit esse conforme Corpori Redemptoris. Vide etiam S. Thomam IV *Dist.* 8, q. 1, art. 3, sol. 2, ad. 1.

Est vero etiam Corpus Mysticum, prout respicit tempus Evangelii, variis modis intellectum, variisque modis etiam hodiedum illud intellegitur. Oriuntur autem varii modi ex quadruplici capite. Primum ratione membrorum, quatenus sunt vel iusti, vel fideles, vel praedestinati; deinde ratione structurae organicae, quae diversis modis potest intellegi; tertium ratione variorum statuum, puta ecclesiam militantem, patientem, regnantem vel trium complexum; tandem ratione influxus quo Ecclesia etiam societatem pervadit civilem.

De singulis paululum latius erit disserendum.

8. Iam supra, agentes de Ecclesia universali inde ab Abel, vidimus Patres haud raro Corpus Christi considerare ut unionem Sanctorum vel iustorum. Idem conceptus apparet, ubi quaestio est de Ecclesia temporis Evangelici. Origenes, *In Cant.* I. cap. 1, 1: *MG* 13 col. 84-85 vocat Ecclesiam unam sponsam, unam personam, coetum Sanctorum; S. Hippolytus, *In Dan.* 1, 17: Corp. Ber. 1 pag. 28 definit Ecclesiam: sanctorum societatem, eorum qui vivunt in iustitia; S. Basil., *In Psalm.* 33, 11: *MG* 29 col. 376 dicit sanctos esse Corpus Christi et membra ex parte; S. Cyrill. Alex., *In Act. Ap.* 2, 3 et *1 Cor.* 12, 9: *MG* 74 col. 757 et 888 docet Christum, id est Corpus eius, Ecclesiam, multis constare sanctis in unitate spirituali perfectissime copulatis; S. Ambrosius *In Luc.* 7, 96: *ML* 15 col. 1724 annotat ex duobus constare Ecclesiam, ut aut peccare nescias, aut peccare desinas; S. Augustinus *Serm.* 149, 3, 4: *ML* 38 col. 801 monet gregem suum, eos ad Ecclesiam, id est ad Corpus Christi, ad gratiam societatemque sanctorum non pertinere, qui aut neglegentes auditores sint, aut malos mores habeant, aut in utroque vitio reprehendantur; et *In Ioh.* tract.

26, 6, 15: *ML* 35 col. 1614 statuit societatem corporis et membrorum Christi, quae est Sancta Ecclesia, esse in praedestinatis et vocatis, et iustificatis et glorificatis sanctis et fidelibus. Vide etiam *De agone Christ.* 20, 22: *ML* 40 col. 301, ubi Ecclesia nuncupatur: universus populus Sanctorum. Cum S. Augustino consentit S. Hieronymus *Ad Eph.* lib. 3 cap. 5, 24: *ML* 26 col. 564 (531) asserens peccatorem de Ecclesia Christi non posse appellari, nec Christo subiectum dici: quod si vero curentur vulnera eius, eum fieri de Ecclesia, quae Corpus Christi sit.

Ratio vero, cur peccatores a Corpore Christi exclusi censeantur, attingitur ab Augustino *Quaest. div. ad Simpl.* II, q. 1, 8-9: *ML* 40 col. 136: Etenim hominem in Corpore Christi esse quidem posse absque charismatibus v. g. prophetiae, non autem esse posse absque charitate, et *De Civ. Dei* 21, 25, 4: *ML* 41 col. 742: fornicatores non comprehendi in membris Christi, cum non sunt in fide, quae operetur in dilectione. Quod idem principium ponit Damascenus *In 1 Cor.* 6, 18: *MG* 95 col. 619, ubi exponit quomodo, licet scortetur Christianus, tamen non sordescat Corpus Christi: gratiam enim relinquere scortantem et sic prohibere, quominus membrum Christi maneat. Breviter S. Augustinus *Enarr. in Psalm.* 139, 2: *ML* 37 col. 1803: « Corpus illius Capitis S. Ecclesia est, in cuius nos membris sumus, si Christum diligimus ».

Constat ex praedictis Patres nonnumquem restringere conceptum Corporis Mystici ad unionem eorum, qui charitate Christo sint copulati. Excludunt autem peccatores a Corpore Christi non simpliciter, sed secundum quendam respectum, scilicet prout Ecclesia unice in istis illam perfectionem habet, quae ex Capitis voluntate in membris adesse *deberet*. Non excludunt simpliciter: etenim, ut statim videbimus, saepissime etiam peccatoribus ingentibus suum locum in Christi Corpore assignant. Excludunt autem secundum quid. Nam Corpus Christi perfectione plena intellectum, (vel forsan rectius: ut esse deberet, non uti de facto est), supponit cum conformitatem perfectam membrorum cum Capite, tum communionem perfectam bonorum spiritualium quoad membra eiusdem Corporis. Perfecta autem conformitas cum Capite non habetur nisi ex imitatione perfecta Christi in vera Christi dilectione. Hac de causa

Origenes *In Cant.* III, cap. 1, 15: *MG* 13 col. 146 dicit Ecclesiam non solum perfectam fore in caelis, sed etiam esse speciosam hic in terris propter Christi imitationem et *Ibid.* IV cap. 2, 14: *MG* 13 col. 191 addit: animas, quae ad perfectionem perveniant, omnes simul constituere Corpus Christi, unam sponsam sine macula et ruga; Corpus Christi pulchrum esse, si animae permaneant in sua perfectione; attamen pro virtutibus et moribus credentium sponsam fieri posse aut decoram aut turpem. Perfectam autem communicationem bonorum non esse nisi inter iustos indicat Hippolyt., *In Dan.* 4, 38: Corp. Ber. 1 pag. 284-287: « Si aliquem videtis nunc in Ecclesia habitare, sed timorem Dei non habet, eum nullo modo iuvat communio cum sanctis, cum virtutem Spiritus Sancti in sese non possideat ». Non igitur excluditur communio, sed communio fructuosa. Quod idem exprimit S. Augustinus, quando *Serm.* 149, 3, 4: *ML* 38 col. 801 affirmat malos non pertinere « ad Corpus Christi, ad gratiam societatemque Sanctorum », quod idem est ac dicere malos non esse de Corpore Christi, prout dicit communicationem gratiae in Sanctorum societate.

Immo nonnumquam Patres, ubi excludunt peccatores a Corpore Christi, magis prae oculis habent Corpus Mysticum in caelis, quam Corpus Mysticum terrestre. Sic v. g. Origenes *In Matth.* 12, 12: *MG* 13 col. 1005 dicit animam quae habeat maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, nec esse Ecclesiam nec Ecclesiae partem. Si autem aliquis scandalizetur propter hanc doctrinam — tot enim esse fideles qui a peccato non abstineant — se provocare ad verbum: multos esse vocatos, paucos electos. Angustam enim esse portam, qua intretur in regnum caelorum. Cf. etiam *Ad Rom.* 8, 5: *MG* 14 col. 1166-1167. Idem apparet ex Hieron. *Ad Eph.* 3, cap. 5, 24: *ML* 26 col. 564 (531). Excludens ibi pecatores a Corpore Christi, dicit clare se agere de Ecclesia Christi gloriosa, non habente maculam nec rugam. Eum autem Ecclesiam gloriosam non nuncupare Ecclesiam terrestrem, apertis verbis demonstrat *Ad Eph.* I, cap. 1, 22-23: *ML* 26 col. 493 (463), ubi docet Christum Caput habere etiam membra vitiosa et debilia. Quoad S. Augustinum idem observari potest. Dicit enim *Enarr. in Psalm.* 103, 9: *ML* 37 col. 1344 eos solos qui charitatem habeant proprie pertinere ad regnum caelorum. At saepius non ita clarum

est, utrum loquens de Ecclesia, quae in Sanctis est, agat de Corpore caelesti vel de Corpore praesenti, cf. exempli causa *De Bapt. c. Don.* 6, 3, 5 et 5, 27, 38: *ML* 43 col. 199 et 195-196 necnon *De Agon. Christ.* 20, 22: ML 40 col. 301 et *Tract. in Ioh.* 124, 21, 7: *ML* 35 col. 1976. Quod iam ex eo quis suspicatur, quod in *Retract.* 2, 18: *ML* 32 col. 637, haud inutile putat declarare, sese olim in libris suis *de Baptismo* saepius locutum esse de Ecclesia sine macula et ruga; illam autem non intellegendam esse Ecclesiam, quae iam sit, sed quae praeparetur ut sit. Cf. supra dicta de Sponsa, p. 50-52.

9. Etsi Patres docent, Ecclesiam secundum quid solum in Sanctis consistere, tamen ex altera parte ubique affirmant, Corpus Christi simpliciter etiam continere peccatores.

De Origene, distinguente inter sponsam decoram et turpem iam modo dixi, haud aliter ac de Hieronymo *Ad Eph.* 1, 22-23. « Quomodo enim Caput plurima sibi habet membra subiecta, ita S. Doctor, e quibus sunt nonnulla vitiosa e debilia: ita et Dominus noster Iesus Christus, cum sit Caput Ecclesiae, habet membra eos omnes, qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet quam peccatores, sed sanctos voluntate, peccatores vero sibi necessitate subiectos »; cum quo textu conferas Ambros., *In Psalm.* 36, 16: *ML* 14 col. 974 et *Epist.* 76, 13: *ML* 16 col. 1264, ubi clare docet Corpus Christi, harmonia Verbi compaginatum, non solum esse in connexione sanctorum, sed omnium fidelium. S. vero Chrysostomus *In Eph.* cap. 6 hom. 22, 4: *MG* 62 col. 161 asserit peccatores separari non a Christo simpliciter, sed a dilectione Christi: multos enim esse unitos Christo, qui tamen Christum non diligant. Et Cassiodorus, licet *In Psalm.* 44 prol.: *ML* 70 col. 319 vocet Ecclesiam, Christi sponsam, Sanctorum hominum adunationem, tamen agens contra Catharistas *In Psalm.* 25, 10 col. 180, observat Ecclesiam pro parte membrorum suorum confiteri copiosa esse sua peccata, et hac de causa iis, qui sese praedicent mundos, intellegendum esse, se portionem cum Sancta Ecclesia habere non posse. Vide etiam Euseb., *In Psalm.* 39, 10-16 ac 45, 4: *MG* 23 col. 357 et 409 necnon Theodoret., *In Psalm.* 39, 13: *MG* 80 col. 1160. Sanctus vero Augustinus asserere non dubitat *Serm.* 349, 2: *ML* 39 col. 1530 in domo Dei, in templo Dei, in civitate Dei, in Corpore Christi, etiam meretricis amorem ad gehennam amantes perducere.

Variis aliis modis apparet, quomodo Patres peccatoribus non denegent locum in Corpore Christi. Et quidem:

a) Ex modo considerandi Corpus Christi Mysticum. Tychonius fecit famosam distinctionem de Corpore Christi bipartito, scil. partim constante e sanctis, partim e peccatoribus, cf. August., *De Doctr. Christ.* 3, 32, 44: *ML* 34 col. 82; Bedam, *Epist.* 12: *ML* 94 col. 695; Eucher., *Instr.* 1, 1: *ML* 50 col. 795; Primas., *In Apoc.* I, cap. 2 et III, cap. 12: *ML* 68 col. 807 et 875. Quamquam Augustinus modum loquendi Tychonii *l. l.* non approbat, tamen ipse *Serm.* 5, 8: *ML* 38 col. 59 Ecclesiam proponit ut personam claudicantem, quae unum pedem fortiter ponat, alterum habeat invalidum. Magis plastice Chrysostomus, quando Corpus Christi *In 1 Cor.* 44, 4: *MG* 61 col. 378-379 scabie describit repletum. Nec ineleganter Patres aliqui peccatores vocant pedes Christi, quippe qui pulvere maculati lotione indigeant, cf. Hieron., *Adv. Iov.* 2, 29: *ML* 23 col. 340 (326) et Caes. Arel., *Serm.* 83, 3: *ML* 39 col. 1907. Vide etiam Ambros., *Epist.* 41, 26: *ML* 16 col. 1120.

b) Ex eo quod distinguunt in Corpore Christi membra sana et fortia, membra languentia et debilia, membra saucia et aegrota, membra putrida, contagiosa, exsecanda. Vide e. g. Chrysost., *In Eph.* cap. 1 hom. 3, 4: *MG* 62 col. 28; August., *Tract. in Ioh.* 26, 6, 13: *ML* 35 col. 1613, ubi enumerantur membra putrida et resecanda, membra distorta et erubescenda, membra pulchra et sana; *Serm.* 19, 6: *ML* 46 col. 891; *Enarr. in Psalm.* 39, 20: *ML* 36 col. 446; Caesar. Arel., *Serm.* 105, 1-2: *ML* 39 col. 1949-1950; Gregor. Magn., *Moral.* 8, 8, 16: *ML* 75 col. 811; 8, 10, 23, col. 815; 13, 17-19, col. 1027-1028; Bed., *In Ioh.* 6: *ML* 92 col. 718.

c) Ex eo quod distinguunt inter partes carnales et partes spirituales Corporis Christi, seu inter eos qui spiritualiter et eos qui carnaliter pertinent ad Corpus Dominicum, cf. exempli causa Clem. Alex., *Strom.* 7, 14: *MG* 9 col. 522; Hieron. (ex mente Origenis), *Ad Gal.* III, cap. 5, 13: *ML* 26 col. 434 (406); August., *Confess.* 13, 12, 13: *ML* 32 col. 850; *Epist.* 140, 14, 36: *ML* 33 col. 553-554; Fulgent., *De Ver. Praedest.* 2, 24: *ML* 65 col. 652. S. Augustinus, *De Bapt. c. Don.* 5, 27, 38: *ML* 43 col. 195-196 inter spirituales distinguit perfectiores et remissiores; inter carnales eos qui peccant, attamen evitant peccata publica, fidem tenent, et si errant facile corriguntur, et alios qui vere sunt

pravi, haereticis doctrinis et superstitionibus paganis addicti, qui videntur intus sed ex praescientia Dei foris sunt. Alio modo Patres distinguunt qui corde et corpore intus sunt, et qui solo corpore sunt intus, cf. August., *ibid.* 5, 28, 39 col. 197; Cassiod., *In Psalm.* 51, 5: *ML* 70 col. 375 cet. Eandem rem alia imagine proponit S. Gregorius Magnus, *Moral.* 20, 17, 43: *ML* 76 col. 163: peccatores scilicet fide solummodo premere Christum, non autem ita tangere, ut ex Capite virtus exeat.

d) Ex doctrina paenitentiaria Patrum: Non esse desperandum de peccatoribus, dum maneant in corpore, cf. August., *Epist.* 185, 11, 50: *ML* 33 col. 815 et *Serm.* 137, 1: *ML* 38 col. 754; melius esse sanare morbidos in Corpore, quam eos resecare, *Epist.* 157, 3, 22; 176, 4; 178, 2: *ML* 33 col. 685, 764, 773: solummodo propter nimiam impietatem a Corpore praecidi homines, alios in Corpore sanari, cf. *Serm.* 137, 1: *ML* 38 col. 754-755, cet. A Chrysostomo paenitentia consideratur ut expurgatio Corporis Christi, cf. *In Math.* hom. 82, 6: *MG* 58 col. 745 et *Qual. duc. ux.* 3, 2: *MG* 51 col. 228; in sermone *Adv. Iud.* 2, 3: *MG* 48 col. 861-862 et *In 1 Cor. hom.* 44, 4: *MG* 61 col. 377 paenitentia ignis vocatur, quia medici saepe membra morbida urebant. Vide etiam Ambros., *In Psalm.* 118, 8, 53-54: *ML* 15 col. 1317 et *De off. min.* 3, 3, 17-20: *ML* 16 col. 149-150.

e) Ex eo quod S. Augustinus etiam influxum Capitis extendit ad peccatores. Peccatores Ecclesiae coniuncti sunt non solum propter fidem communem, propter baptismum susceptum, propter communionem sacramentorum et precum, cui nonnumquam accedit unio propter munera ecclesiastica et charismata Spiritus Sancti iis annexa, cf. *Enarr. in Psalm.* 103, 9: *ML* 37 col. 1343-1344: sed etiamsi in peccatore desit charitas, tamen est influxus Christi in peccatorem, etiam qua talem. Caput enim emendat omnia membra, cf. August., *Enarr. in Psalm.* 88, II, 2 et 140, 13: *ML* 37 col. 1132 et 1824; Caput interpellat et propitiat Deum pro peccatis, *Serm.* 137, 1: *ML* 38 col. 754; Caput recipit, flagellat, mundat, consolatur, creat, vocat, revocat, corrigit, redintegrat, cf. *In Psalm.* 85, 5: *ML* 37 col. 1085. Vide etiam *Denz.* 1063 et 1064 de duplici iustitia et vivificatione, una ex Spiritu, caritate inhabitante, alia ex Spiritu excitante ad paenitentiam, quam distinctionem Baius negaverat.

f) Ex eo quod Patres applicantes regulam Tychonii, scilicet Christum loqui posse cum ex persona Capitis, tum ex persona Corporis, non dubitant affirmare Christum nonnumquam loqui ex persona Corporis, — sive totius humanitatis sive Ecclesiae —, prout illud peccatis est affectum, et hoc sensu Dominum pro semet ipso rogare veniam et remissionem peccatorum. Cf. Hieron., *Dial. c. Pelag.* 2, 19: *ML* 23 col. 582 (556); August., *Enarr. in Psalm.* 37, 6: *ML* 36 col. 399-400; *In Psalm.* 88, II, 3 et 140, 6: *ML* 37 col. 1132 et 1818; *De Civ. Dei* 17, 9, 1: *ML* 41 col. 542-543; Prosp. Aquit., *In Psalm.* 140, 2: *ML* 51 col. 402; Primas., *Ad Hebr.* 9: *ML* 68 col. 740; Vigil., *Epist.* 16, c. 23: *ML* 69 col. 84; Cassiod. citantem Tychonium, *In Psalm.* praef. gen. 13: *ML* 70 col. 18; Theodor., *In 1 Cor.* 15, 27: *MG* 82 col. 360; Ioh. Damasc., *De Fid. orth.* 3, 24: *MG* 94 col. 1091-1094. Vide etiam ut habeas antiparallelum, quomodo Origenes defendat lectionem vitiosam *Gal.* 5, 24: « Qui autem sunt Christi, carnem *Christi* crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » apud Hieron., *Ad Gal.* III, cap. 5, 24: *ML* 26 col. 449-450 (421).

g) Ex pugna contra Novatianos. Cf. Ambros., *De Paenit.* 1, 7, 31-32: *ML* 16 col. 476 et Ambrosiast., *Ad 2 Tim.* 2, 20: *ML* 17 col. 491-492. Notatu digna sunt modo speciali ea, quae habet Ambrosiaster *Ad 1 Cor.* 6, 18: *ML* 17 col. 215 et *Quaest in N. T.* II, 50: *ML* 35 col. 2405, ubi refutatur argumentum Novatianorum ex 1 *Cor.* 6, 18: « qui fornicatur, in corpus suum peccat », quem textum ipsi de Corpore Mystico dictum existimabant. Quod Novatianorum suppositum idem (?) Ambrosiaster priori loco admittit, altero simpliciter abnuit.

10. Quia res maximi momenti est — ex eo enim, quod pecatores simpliciter exclusi censentur a Corpore Christi, multae exortae sunt haereses, eaeque gravissimae — hoc etiam notatum velim, non semper a Patribus, ubi dicunt Ecclesiam esse in solis Sanctis, vel contra, peccatores, quippe qui non habeant charitatem, non esse de Ecclesia, eo ipso affirmari, solummodo eos qui gaudeant gratia sanctificante esse membra Corporis Christi. Et quidem triplici ratione.

a) Vox « sancti » in Ecclesia primaeva non solummodo indicat eos, qui in gratia sunt, sed latiori sensu quo-

que baptizatos, et consequenter supponitur pro « fideli ». Theodoretus, non iniuria puto, observat *Ad Philipp.* 1, 1: *MG* 82 col. 560 ab Apostolo sanctos vocari baptizatos. Qui modus antiquus loquendi postea non absolute exstinctus est. Si v. g. S. Cyrill. Alex., *Glaph. ad Gen.* 4, 12: *MG* 69 col. 224-225 Ecclesiam dicit sanctam multitudinem credentium vel etiam congregationem eorum, qui per fidem in Christum nacti sint unitatem cum Deo per Spiritum, eum unice intendere baptismate lavatos existimo.

b) Ex altera parte ubi Patres de peccatoribus agunt, non semper intendunt omnes eos, qui carent gratia, sed saepe eos solos obstinaces, qui ob delicta maiora ab Ecclesia separandi sunt. S. Basilius v. g. *In Isaiam* I, 55: *MG* 30 col. 220 dicit separatos esse a Corpore Christi, qui prohibitis peccatis deprehensi sint. Et quando S. Augustinus *De Symb. ad Catech.* 7, 15: *ML* 40 col. 636 neophytos suos monet, ne ea committant, pro quibus necesse sit a Christi Corpore separari, addit: adulteria et facta immania. Eodem modo distinguit *Serm.* 137, 1: *ML* 38 col. 754 peccata infirmorum, quae sanentur in corpore a nimia impietate, qua quis a Corpore praecidatur. Vide etiam *Tract. in Ioh.* 26, 6, 13: *ML* 35 col. 1613, ubi membra distorta et erubescenda separantur a membris putridis, resecandis, et Ambros., *In Psalm.* 40, 28: *ML* 14 col. 1080-1081.

c) Ubi Patres agunt de charitate, bene videndum est, de quanam charitate sit sermo. Est enim duplex intellectus charitatis, quod apparet ex eo, quod charitati opponitur. Saepissime charitati opponitur peccatum simpliciter; alibi autem opponitur charitati superbia, discordia et aemulatio. Amissio charitatis primo sensu facit membrorum saucium, immo putridum si peccatum est scandalosum; amissio charitatis altero sensu separat a Christi Corpore, est enim causa schismatis.

Saepe saepius dicit S. Augustinus id esse in Corpore Christi charitatem, quod in corpore humano sit sanitas. Ibi agit de charitate, cui peccatum simpliciter opponitur. Non perfecte separat amissio illius charitatis, sed refrigescit, vulnerat, morbidum facit, immo aliquando putrificat. Medicina autem talis morbi est paenitentia. Cf. *De Doctr. Christ.* 1, 16, 15: *ML* 34 col. 25; *In Ep. Ioh.* III, 2, 4-5: *ML* 35 col. 1999; *Enarr. in Psalm.* 32, II, 21: *ML* 36 col. 296;

In Psalm. 130, 6: *ML* 37 col. 1707; *Serm.* 5, 8; 137, 1; 142, 7: *ML* 38 col. 59, 754, 782; *Serm.* 19, 6: *ML* 46 col. 891-892; *Sarm. Den.* 19, 6-7: Misc. Agost. 1 pag. 103-104; *De Bapt. c. Don.* 1, 18, 28: *ML* 43 col. 124.

Charitas autem, cui opponitur schisma, vocari potest pax ecclesiastica in unitate, cf. Chromat., *In Matth. Tract.* 3, 7: *ML* 20 col. 336. Libenter eam nuncuparem « fraternam charitatem », si vox ista hodie non alias provocaret ideas, cf. v. g. Origen., *De Orat.* 11: MG 11 col. 449; August., *De bapt.* V, 2, 2: *ML* 43 col. 177; et Eusebium, Chrysostomum, Theodoretum *In Psalm.* 132, 2: *MG* col. 28; 55 col. 385; 80 col. 1912; S. Augustinus *loco laudato* eam ed mentem S. Cypriani vocat « charitatem unitatis ». Est ea virtus, cui S. Basilius *De Iud. Dei* 3: *MG* 31 col. 657-660 opponit dissidium et aemulationem, addens, eos qui non habeant concordiam, vinculum pacis, spiritum lenitatis, non esse membra Christi. Est virtus per excellentiam socialis, quae ut verbis Paulini Nol. utar, *socialia membra* Corporis Christi efficit, cf. *Epist.* 2, 3; 5, 11 et 13, 3: *ML* 61 col. 160, 172 et 209 collato *Poem.* 25 vers. 23: *ML* 61 col. 633. Est illa gratia fraterna, cuius invidentia auctore Angelico *S. Th.* II-II, q. 14, art. 2 ad 4 schismata creat. De hac charitate multoties agit S. Augustinus. Sic *Enarr. in Psalm.* 149, 2: *ML* 37 col. 1949 ei opponit animositatem, eamque describit pacem, vinculum sanctae societatis, compagem spiritualem. Alibi *ibid.* 30, II 1: *ML* 36 col. 239 eam hisce verbis depingit: « Sic enim est unum corpus, ut non sit discissio: non autem facit discissionem nisi dissensio; charitas autem compagem facit, compages complectitur unitatem, unitas servat charitatem». Est autem haec charitas in subiectione erga Christum, est in concordia mutua, cf. *ibid.* 68, I, 1: *ML* 36 col. 841; eius vero inimica maxima est superbia ea, qua haeretici et schismatici omnes procreantur, cf. *Serm.* 46, 8, 18: *ML* 38 col. 280 et *Enarr. in Psalm.* 118, XXVI, 4: *ML* 37 col. 1578 collatis *Serm.* 181, 2: *ML* 38 col. 980 et *Enarr. in Psalm.* 130, 6: *ML* 37 col. 1707.

Quare si S. Augustinus *Contra Cresc. Don.* I, 29, 34: *ML* 43 col. 464 dicit: « Non autem existimo quemquam ita desipere, ut credat ad Ecclesiae pertinere unitatem, eum qui non habet charitatem », probabilius puto Sanctum Doctorem eam intendere charitatem socialem, qua eradicata, ut

dicit *Enarr. in Psalm.* 149, 2: *ML* 37 col. 1949, homo sese separat a compage Christi charitatis et societate Sanctae Ecclesiae. Ubi autem affirmat, ut *De Bapt. c. Don.* 6, 3, 5: *ML* 43 col. 199, quaedam, quae de Ecclesia praedicantur secundum quod est columba unica, casta, pudica et Sponsa sine macula et ruga, non intellegi posse nisi in bonis et sanctis et iustis, prout habent intimam et supereminentem charitatem Spiritus Sancti, luce clarius agit de charitate ea, quae opponitur peccato simpliciter, et qua sumus in Dei amore ac gratia.

Eadem distinctio inter charitatem et charitatem observatur apud S. Gregorium Magnum, ut videre est in dissertatione A. Boros, *Doctrina de haereticis ad mentem S. Gregor. M.*, Romae 1935, pag. 28-31.

b) Illud etiam meminisse liceat, verbis: «Ecclesia, quae in Sanctis est», saepissime significari respectum formalem, ideoque reddi posse: «Ecclesia, quatenus in Sanctis est». Sic applicata regula Tychonii de Corpore bipartito dici potest: «Ecclesia, quae in Sanctis est, sine macula est et ruga; Ecclesia, quae in peccatoribus est, fusca est et rugarum plena». Et sic de ceteris.

11. Inde a tempore patristico haud paucae sunt distinctiones, quibus exprimitur diversa ratio, qua iusti et peccatores sese habent ad Corpus mysticum Christi. Berengaudus, *In Apoc.* 6: *ML* 17 col. 815 dicit bonos mente inesse in Ecclesia, peccatores corpore et anima tantum. Hugo a Sto Victore, *De arca Noë mystica* 6: *ML* 175 col. 690, exemplum secutus Ps. Hieron., *Brev. in Psalm.*, 132: *ML* 26 col. 1294 dicit iustos fide et caritate esse *de* Ecclesia, peccatores fide *in* Ecclesia tantum. Alexander Hal., *Summa Theol.* III, q. 12, membr. 2, a. 3 distinguit unionem quasi materialem per solam fidem ab unione formali per caritatem; peccatores non proprie pertinere ad corpus mysticum; eos esse in unitate Ecclesiae, iustos autem in unitate corporis Ecclesiae. Richardus a Mediavilla III *Sent.*, dist. 13, a. 2, q. 2-3 dicit iustos esse de Ecclesia simpliciter ob gratiam, peccatores ratione fidei secundum quid. S. Thomas III *Dist.* 13, q. 2, a. 2, q.la 2 et 3 opponit membra aequivoca membris veris, unitatem materialem unitati formali, unitatem Ecclesiae unitati Corporis Ecclesiae; in *S. Theol.* III, q. 8, a. 3

distinguit membra Christi perfecte et simpliciter per fidem formatam a membris imperfecte et secundum quid ex fide informi tantum. Bellarminus, *De Eccl. milit.* cap. 9, sequens Alex. Hal., Hugon. a S. Vict., Thomam, Turrecrematam, peccatores opponit iustis, ut membra aequivoca, mortua, secundum quid, membris veris vivis, simpliciter; in libro autem *De Gemitu columbae* I cap. 2 peccatores vocat membra vera, sed arida non viva. *De Eccl. milit.* cap. 2 distinguit eos qui sunt de corpore Ecclesiae tantum ab iis quae sunt de corpore et de anima. Qui ficta fide in Ecclesia vivit est de corpore tantum; ceteri peccatores et iusti cunt de corpore et de anima: iusti de anima perfecte ob gratiam, peccatores ob fidem non perfecte, sed inchoative tantum. In *Concil. Trid.*, De iustif. cap. 7: *Denz.* 800 distinguuntur membra viva et Christo perfecte unita, a membris non vivis Christoque imperfecte unitis ex fide et spe informibus tantum. Verba autem *membra viva* intelligenda sunt de vivificatione plena, cf. Damnat. err. M. Baii: *Denz.* 1063 et 1064 et Pii XII. *Mysticum Corpus*: *AAS* 35, 1943, pag. 203-204, ubi clare docetur peccatores esse membra Corporis Christi mystici, non omni vita supernaturali privata ratione fidei et spei necnon illustrationum et impulsionum quibus ad conversionem excitantur. Ex qua doctrina facile iudicabis de maiore minoreve exactitudine praedictarum distinctionum relate ad quaestionem, quatenus peccatores sint membra Corporis mystici, formaliter ut mystici: enimvero de habitudine eorum ad Corpus mysticum, ut est organismus socialis iuridicus, nulla est quaestio.

Haec dicta sint de Ecclesia Sanctorum et de Ecclesia fidelium. Forsitan Ecclesia ea, quae unice in iustis est, vocari potest Sanctorum Communio ratione gratiae sanctificantis et plenioris conformitatis cum Christo Capite; Ecclesia autem fidelium simpliciter, cum iustorum tum peccatorum, Communio Sanctorum ratione communicationis Spiritus Sancti, magis vel minus plenae secundum statum perfectionis membrorum, in unitate communis baptismi, fidei, liturgiae, unionis ecclesiasticae.

12. Iam dicendum de corpore praedestinatorum. Ecclesia duplicem ob causam dici potest et debet congregatio praedestinatorum, idque sensu exclusivo. Etenim inde ab

aeterno Christus secundum naturam humanam praedestinatus est, ut esset caput Ecclesiae, nos vero ab aeterno praedestinati sumus, ut tanti Capitis membra essemus, cf. Augst., *De Praedest. Sanct.* 15, 31: *ML* 44 col. 983 et *De don. pers.* 24, 67: *ML* 45 col. 1034. Praedestinatio autem illa potest respicere cum Ecclesiam terrestrem, tum Ecclesiam caelestem. Si respicitur Ecclesia terrestris, certum est in Ecclesia praesenti non esse nisi qui sint ad eam praedestinati; si vero Ecclesia caelestis, aeque certum est in ea non fore, nisi qui sint praedestinati ad caelestem gloriam.

Potest autem Ecclesia etiam considerari ut quodammodo complectens Corpus praesens simul et futurum, scilicet ut Corpus Christi, quod terminum suum definitivum habet in caelesti Ecclesia; et re sic intellecta dici potest solos praedestinatos ad gloriam, *definitive* pertinere ad Ecclesiam. Sic rem considerat Origenes, quando *In Cant.* hom. 1, 1: *MG* 13 col. 38 dicit nuptias Sponsi et Sponsae esse in iis, qui evangelii praedicatione salvati sint, vel quando *In Ioh.* 1, 14: *MG* 14 col. 45 Iesum Christum vocat Caput totius Corporis eorum qui salvantur. Observat enim *In Cant.* prolog.: *MG* 13 col. 80 Christum esse incarnatum, ut sit Ecclesiastes; illum autem proprie esse Ecclesiasten, quando nos sociamur Ecclesiae primitivorum, quae in caelis est. Etiam apud S. Gregorium Magnum apparet haec idea, ubi loquitur de « Ecclesia electorum ». Nonnumquam « Ecclesia electorum » identificatur cum Ecclesia caelesti, cf. *Moral.* 29, 2, 2: *ML* 76 col. 478 et *Hom. in Evang.* 24, 3: *ML* 76 col. 1185, alibi autem « Ecclesia electorum » sunt electi prout tendunt ad gloriam, cf. *Moral.* 1, 26, 37; 5, 10. 19; 13, 41, 46; *ML* 75 col. 544, 689, 1037; *Moral.* 20, 30, 60: 26, 40, 73; 30, 16, 53; 30, 25, 72; *ML* 76 col. 173, 392, 553. 563. S. Thomas autem *In Ioh.* cap. XII, lect. 2, n. 2 dicit quosdam, i. e. fideles non praedestinatos, esse numero tantum de Ecclesia, non merito. Vide etiam supra de Sponsa pag. 51.

Quod ad Augustinum spectat, certum est eum Corpus Mysticum in terris non unice reservasse praedestinatis, ut clarum est ex iis, quae supra disseruimus de Ecclesia Sanctorum et Ecclesia fidelium. Huic non obstat quod *De Bapt. c. Don.* 5, 27, 38: *ML* 43 col. 196 dicit: « Ineffabili praescientia Dei, multi qui foris videntur intus sunt; et multi

qui intus videntur foris sunt ». Non enim hisce verbis considerat Ecclesiam ut unionem realem cum Christo, sed ut unionem mentalem, quae solummodo exsistat in Dei praescientia. Sed iam a vero aberrare incipit Berengaudus, *In Apoc.* 21, 11: *ML* 17 col. 946-947, ubi ad difficultatem: « Quomodo descriptio ista Hierusalem (*Apoc.* 21, 10-15), id est Ecclesiae, ad futurum tempus pertinet, cum praesentis temporis eius forma in hac visione videtur describi? » sic respondet: « Respondemus, quia Ecclesia, quamdiu in hac vita consistit, agnosci perfecte non potest, sed quasi sub quodam velamine absconsa tenetur; cum ignoretur quis sit reprobus aut quis electus ». Concedendum tamen est, in ecclesiologia Augustiniana nobis videri quandam obscuritatem, quia haud raro in una visione videt Ecclesiam in via simul et in termino; cf. *In Ioh. tract.* 26, 6, 15: *ML* 35 col. 1614. Vide etiam Bed., *In Esdr.* 1, 3: *ML* 91 col. 826.

Quod ad famosam quaestionem spectat de praedestinatione ante et post praevisa merita, ea ex mente Augustiniana etiam sic potest proponi: estne praedestinatio ante praevisa merita, quatenus praedestinamur ut simus membra Christi in terris, vel ut simus membra Christi in gloria, vel quatenus praedestinamur ad utrumque? cf. *De Praed. Sanct.* 15,30-17,34: *ML* 44 col. 981-986 et *De don. pers.* 67: *ML* 45 col. 1033-1034. Ponit S. Doctor hoc principium: Sicut Christus praedestinatus est absque praevisis meritis, ut esset Caput, sic et nos, ut essemus membra. Applicat autem illud principium dicens: sicut caput absque praevisis meritis natus est de Spiritu ex Virgine: sic et nos ex aqua et Spiritu absque meritis praevisis sumus renati. Homines non credunt, ut eligantur, sed eliguntur, ut credant. Praedestinatio igitur nullis praevisis meritis respicit formaliter Corpus Christi in terris, et quia nemo potest venire ad Corpus Christi gloriosum sine incorporatione in Corpus terrestre Ecclesiae, per consequens etiam caelestem Ecclesiam. De praedestinatione praecisive ad Corpus Christi gloriosum locis allatis non loquitur S. Doctor. Eam quidem attingit *Ad Rom.* 5: *ML* 35 col. 2091-2092, ubi exponit, quomodo Christus praecise, ut Caput Ecclesiae est, praedestinatus sit ex resurrectione mortuorum ad gloriam caelestem, et nos in Illo; sed ibi de merito nulla est quaestio. Vide

etiam Prosp. Aquit., *In Psalm.* 131, 8: *ML* 51 col. 379: « electionem gratiae ».

13. In praecedentibus considerationibus de Ecclesia, quatenus in Sanctis, in fidelibus, in praedestinatis est, quasi unice attendebatur ad relationem quam habent singula membra Corporis Christi ad Caput suum prout sanctificator est; abstrahebatur autem ab alio elemento Corpori Christi haud minus essentiali, scilicet a constitutione organica totius Corporis. Etiam sub hoc respectu apparet divergentia aliqua, prout Corpus intellegitur compositum ex partibus magis homogeneis vel magis heterogeneis. Est autem uterque hic considerandi modus perutilis ad plenius perspiciendam naturam Ecclesiae.

Priorem aspectum hisce verbis complecti possumus: Ecclesia ex ecclesiis. Dicit Clemens Alex., *Strom.* 5, 6: *MG* 9 col. 62 esse mansionem ecclesiarum, quae conspirent in unum corpus et unum coetum. Quod idem simplicius exprimit S. Gregorius Magnus *Mor.* 4, 7, 12: *ML* 75 col. 643 multiplicatas Ecclesias unam facere Catholicam; brevissime autem S. Basilius, *In Isaiam* 15, 296: *MG* 30 col. 637: « Corpus Ecclesiarum ». Etiam S. Cyrillus Alex., *Glaph. in Gen.* 5, 4 et 5: *MG* 69 col. 246 et 249 loquitur de multis sponsis, quas Christus acquisiverit sanguine suo, et quae unam domum, unam familiam constituant. Theodoretus vero *In Psalm.* 131, 18: *MG* 80 col. 1909 observat ecclesias ubique terrarum sparsas constituere Corpus Christi et *In Psalm.* 96, 8: *MG* 80 col. 1656 imaginem Paulinam Corporis Mystici sic explicat, ut Ecclesias particulares membra totius corporis fingat: Unam esse Salvatoris Ecclesiam, cum ad unum Christi Corpus fideles pertineant; multas tamen esse ecclesias, cum Corpus multa habeat membra. In eadem idearum linea S. Iohannes Damascenus explicat *in 1 Cor.* 12, 26-27: *MG* 95 col. 674 verba Apostoli: μέλη ἐκ μέρους, membra de membro: Corinthios scilicet esse membra ecclesiae suae, quae sit membrum Ecclesiae illius, quae ubique terrarum est. Eundem conceptum videbis apud Benedictum Pp. XV Mot. prop. *de sacra Congr. pro Eccl. orient.*: *AAS* 9 pag. 529: « Dei providentis arcano consilio locum obtinentes beati Petri Apostolorum Principis... omnem Nos adhibere vigilantiam et curam, ut universae ac singu-

lae non modo conserventur sed accrescant ecclesiae, ex quibus compactum et coagmentatum constat *unum corpus Christi mysticum*, seu Ecclesia Catholica, equidem pro apostolici officii conscientia studemus ». Vide etiam Pii XII *Mystici Corporis*: *AAS* 35, 1943, pag. 211-212.

Unitas autem multarum Ecclesiarum in una Catholica tribuitur a Patribus uni septiformi Spiritui Sancto vel etiam ipsi Deo inhabitanti unique fidei salutari, cf. Origen., *Ad Rom.* 10, 34: *MG* 14 col. 1283; Chrysost. (?), *Opus imp. in Matth.*, hom. 1: *MG* 56 col. 621; Theodor., *In Cant.* 3, 6, 1: *MG* 81 col. 165; Hilar., *In Psalm.* 131, 14: *ML* 9 col. 736. Quare Sixtus Pp. V, *Egregia populi* § 2, 13 Febr. 1586 dicit 7 Ecclesias Urbis in ipso capite, unde unitas dimanat, figurare universam Ecclesiam, unam per 7 dona Paracliti. Aliam autem unitatis rationem desumere possumus ex S. Augustino: omnes videlicet pastores, id est singularum Ecclesiarum praepositos, unitos esse in Christo, summo Pastore, cf. *Tract. in Ioh.* 46, 10, 7: *ML* 35 col. 1731; *Serm.* 46, 4, 9 et 46, 13, 30: *ML* 38 col. 274 et 287; *Serm.* Guelf. 16, 3: Misc. Ag. 1 pag. 493; *Epist.* 208, 2-5: *ML* 33 col. 951. Quia autem Corpus Christi, praecise ut Corpus est, visibile sit oportet, ideoque etiam visibili Capite instructum: Christus, licet invisibilis ratione vitae internae Ecclesiae, tamen ratione directionis visibilis externae sese manifestat in Vicario suo, qui cum Christo unum Caput constituit, cf. Bonif. Pp. VIII *Denz.* 468; et consequenter etiam omnes pastores ecclesiarum particularium debent esse uniti visibiliter in Petro, ne ab invisibili unione in ipso Christo excludantur. Vide etiam S. Thom., *C. Gentiles* 4, 76.

Conceptus modo explicatus Corporis Mystici utpote « Ecclesiae ex ecclesiis » suo momento non caret. Id enim bene prae oculis habendum est, quod Ecclesiae particulares formatae sunt ad exemplar Ecclesiae totalis. Sicut pastor Ecclesiae totalis pro tota Ecclesia est Christi vicarius, sic etiam pastores particulares gregem suum regunt ut Christi vicarii; et vice versa sicut pastores particulares in sua ecclesia exercent veram episcopalem potestatem, sic pastor supremus in tota Ecclesia. Quare licet pastores particulares sint vicarii Christi, munus tamen suum non exercent nisi dependenter a vicario supremo: et hac de causa ecclesiae particulares ratione sui non sunt indefectibiles,

quod soli Sponsae universali sine macula et ruga convenit, cf. Hieron., *Ad Gal.* lib. 1 cap. 1, 2: *ML* 26 col. 337 (313). — Leo X *Primitiva illa Eccl.*, 18 aug. 1516, dicit primitivam Ecclesiam divino consilio paroecias, dioeceses, metropolitas creasse, ut tamquam membra capiti obsequentia, cuncta secundum Romanae Ecclesiae voluntatem salubriter gubernarent. Conceptum igitur Ecclesiae ex ecclesiis latius evolvit; ubi tamen notes nec parochos nec metropolitas, qua tales, esse sensu stricto Christi vicarios, ut sunt Episcopi.

14. Accedamus ad alterum aspectum. Ecclesia, magnum illud et pretiosum Corpus Christi, cf. Gregor. Naz., *Orat.* 6, 1: *MG* 35 col. 721, est etiam animal heterogeneum, quia non omnia possunt omnes, teste Hieron., *Epist.* 52.9: *ML* 22 col. 535. Iterum atque iterum Patres hanc ideam inculcant, non solum ubi commentantur in operibus exegeticis doctrinam S. Pauli *Rom.* 12; 1 *Cor.* 12; *Eph.* 4, 11-16; *Col.* 2, 19, sed et alibi in sermonibus et homiliis praecipue ad Canticum, cf. supra pag. 49. Et quidem iure merito huic veritati insistunt. Si enim in Corpore Christi omnia membra eundem actum haberent, aliis verbis, si non adessent organa cum operationibus sibi propriis in totius organismi emolumentum, Ecclesia Christi Corpus Christi nuncupari non posset, ut recte notat Chrysostomus *In* 1 *Cor.* hom. 30, 2-3: *MG* 61 col. 252-253; *In Gal.* 6: *MG* 61 col. 675; *In Eph.* cap. 1, hom. 3, 2: *MG* 62 col. 26. Valde autem hac in re differt conceptus Patrum a conceptu multorum huius temporis. Dum enim haud pauci moderni, de structura Mystici Corporis disserentes, quasi unice prae oculis habent organizationem hierarchicam, quae quidem in Ecclesiae spirituali aedificio principalior est ut continuatio perennis Christi doctoris, regis, sacerdotis; antiqui visione multo latiori gaudebant, uti apparet ex locis permultis, ubi Patres — dico Origenem, Nazianzenum, Nyssenum, Chrysostomum, Cyrillos Alex. et Hieros., Ps. Dionysium, Theodoretum, Hieronymum, Rufinum, Augustinum, Caesarium Arel., Fulgent. Rusp., Gregorium Magn., Isidorum Hisp., Berengaudum, Bedam — agunt de diaconiis, officiis, gradibus, professionibus, statibus, ordinibus Corporis Christi secundum multiplices atque varias donationes Spiritus Sancti: quibus locutionibus comprehendunt clericos, monachos, viduas, virgines et con-

tinentes, matrimonio iunctos, diaconissas, operibus misericordiae deditos cet. Ut unum exemplum afferam, quod nos forsitan acutius tangit: matrimonium vocatur officium speciale in Corpore Christi, cf. August., *Serm.* 95, 9; 196, 2; 267, 4: *ML* 38 col. 583, 1020, 1231 atque saepius; gradus, cf. *ibid.* 192, 2: *ML* 38 col. 1012; professio in ecclesia Catholica, Caes. Arel., *Serm.* 303, 7: *ML* 39 col. 2327; ordo et gradus, cf. Fulgent. Rusp., *De Trinit.* 12: *ML* 65 col. 507-508; ordo, cf. Gregor. Magn., *Moral.* 30, 6, 23-24: *ML* 76 col. 536 et saepius; Bed., *In Num.* 2: *ML* 91 col. 360 et saepius; Berengaud., *In Apoc.* 6, 3-4: *ML* 17 col. 814 et saepius; ecclesiasticus ordo, Theodor., *In 1 Tim.* 2, 15: *MG* 82 col. 804: et qua tale a Patribus non solummodo opponitur virginibus, continentibus, monachis, sed etiam praedicatoribus, rectoribus, clericis, sacerdotibus[1]. Nec Patres oblivioni tradunt, Spiritum Sanctum praeter ordinaria charismata, singulis statibus et gradibus destinata, etiam extraordinaria providere in bonum Corporis communis. Conceptum hunc pleniorem organismi spiritualis etiam invenies apud S. Thomam, *S. Th.* II-II, q. 183, art. 2, ubi habes fundamentum proprium ecclesiologiae Angelici, et imprimis in encycl. Pii XII *Mystici Corporis*: *AAS* 35, 1943, 200-201. — Haec vero ad tempus sufficiant, cum postea de hisce rebus latius sim disputaturus. Illud tamen addo, ideam modo expositam absolutē esse necessariam, ut quis bene intellegat, quomodo sese habeat Actio Catholica ad organismum totalem ipsius Ecclesiae, nec putet omnia organa quae iure pertinent ad Ecclesiam esse etiam organa iurisdictionalia: de quo argumento vide quae alibi disserui in libello *Actio Catholica in Corpore Christi,* Romae 1936, pag. 10-16, et *Actio Catholica et Hierarchia* in *Periodica* 25, 1936, pag. 105*-118*.

15. Etiam, ubi Ecclesia consideratur per modum Corporis, organis heterogeneis instructum, apparet duplex rei intellectus. Provenit ex eo, quod aliquando hierarchia locum

[1] Etiam catechumeni, cf. Origen., *Contra Celsum* 3, 51: *MG* 11 col. 987 ac Hieron. *In Isaiam* 19, 18: *ML* 24 col. 191 sicut et poenitentes, cf. Ps. Dionys., *Epist.* 8, 1: *MG* 3 col. 1088-1089 ac Greg. Magn., *Moral.* 30, 6, 23-24: *ML* 76 col. 536-537, nonnumquam vocantur *ordines.*

sibi assignatum habet in Corpore, aliquando etiam in Capite. Ut problema clare appareat, cito haec verba S. Augustini, *Serm.* 18, 8: *ML* 46 col. 880: « Dicitis fortasse: bene vos ab istis (theatris) abstinetis, qui clerici estis, qui Episcopi estis: nos autem laici. Itane vero haec vox iusta vobis videtur? Quid enim sumus nos, si peritis vos? Aliud est, quod sumus propter nos: aliud quod sumus propter vos. Christiani sumus propter nos, clerici et Episcopi non nisi propter vos. Apostolus non clericis, non Episcopis, non presbyteris loquebatur, quando dicebat: *Vos autem estis membra Christi.* Plebibus dicebat, fidelibus dicebat, Christianis dicebat: *Vos autem estis membra Christi.* Attendite, in quo Corpore membra estis; attendite, sub quo Capite in una Corporis compage vivatis. Videte unum Spiritum, quem ab illo accepistis ». Similia *Serm.* Den. 17, 8: Misc. Agost. 1 pag. 88, cum quibus conferas *Contra Cresc. Don.* 2, 11, 13-14: *ML* 43 col. 474. Uno verbo rem contrahit *Serm.* 340, 1: *ML* 38 col. 1483: « Vobis sum Episcopus, vobiscum Christianus». Ex verbis allatis clarum est, quomodo Hierarchia, ut Hierarchia est, e Corpore Christi excludatur. Ex altera tamen parte idem Augustinus docet *De Civ. Dei* 7, 1: *ML* 41 col. 194 Episcopos esse lapides angulares aedificii spiritualis Ecclesiae, et *Serm.* 19, 6-7: *ML* 46 col. 891-892 explicat, quomodo in Corpore Christi sint varia officia, quae comparari possint cum diversis organis corporis humani, inter ea autem excellere quaedam organa, prae ceteris oculum, qua voce Episcopum, seu ut ipse explicat *De Civ. Dei* 1, 9, 3: *ML* 41 col. 23, speculatorem intendit.

Ex mente Augustiniana prior consideratio, qua Hierarchia, ut talis est, quasi extra corpus consideratur, nil miri habet. Sicut fideles unum sunt in Christo ovi, sic pastores unum sunt in Christo Pastore, cf. supra pag. 142; et quia pastor sese habet ad gregem ut caput ad corpus, Hierarchia quoque magis ponenda est in Capite quam in Corpore Ecclesiae. Hac de re iure merito S. Bellarminus *Contra Paul. Servit.* cons. 5, iniuriam illatam Pontifici esse non solum iniuriam illatam Christo in membro suo, sed in semetipso, quia Pontifex Christum ut Caput repraesentat. Non est autem Hierarchia in Capite propter se, sed unice propter fideles. Hac de re idem Augustinus, qui tam humiliter semet ipsum, quatenus Episcopus est, a Corpore Chri-

sti excludit, alibi *Serm.* 392, 4: *ML* 39 col. 1711 non dubitat exclamare: « Episcopus iubet, Christus in me iubet! » Quod idem elucet ex iis quae p. 49-50, de Sponsa disserentes, diximus de Sponso Christo sese manifestante in Episcopo. Quia vero Episcopus quodammodo unum est cum Christo Capite, iure merito ad mentem Chrysostomi, Nazianzeni, Ps. Dionysii Ecclesia pleroma Episcopi est, sicut etiam est, et quidem sensu primario, pleroma ipsius Christi, cf. pag. 50. Eundem conceptum vide in bulla celebri Bonifacii Pp. VIII *Unam Sanctam*, apud *Denz* 468. Eadem vero de causa, cur Romanus Pontifex cum Christo unum Caput constituat totius Corporis Mystici, ut claris verbis in bulla docet Bonifacius, eadem de re Episcopi quoque pro singulis suis ecclesiis -- etenim in sua quisque ecclesia sunt Chrsti vicarii (cf. Leon. XIII *Satis Cognitum*: *ASS* 28, pag. 732) — unum Caput efformant cum Salvatore. Quare S. Basilius, *In Isaiam* 15, 296: *MG* 30 col. 637: « Qui corpori Ecclesiarum praesunt, loco capitis sunt ». Quod autem de singulis Episcopis valet respectu singularum ecclesiarum, applicari nequit ad Episcoporum Collegium respectu Ecclesiae totius. Relate ad Catholicam sunt membra eminentiora, singulari virtute praedita, quia nexu singulari coniunguntur cum Capite totius corporis, cf. Gregorius Magn., *Moral.* 14, 35, 43: *ML* 75 col. 1062: « Caput fidelium non immerito Sacerdotes accipiuntur, quia pars membrorum Domini prima sunt ».

Cum consideratione modo proposita, arte cohaeret alia, quae primo intuitu ab ea longe videtur aliena, Episcopum scilicet seu potius Episcoporum regimen esse animam Corporis Christi, cf. Basil., *Epist.* 29: *MG* 32 col. 311; Gregor. Naz., *Orat.* 2, 3: *MG* 35 col. 409, collato Orig., *De Princip.* 2, 8, 5: *MG* 11 col. 225, ubi Apostoli vocantur anima Christi mystici. Quamquam vero Nazianzenus pastores et doctores ratione regiminis relate ad fideles nuncupat animam, tamen ex altera parte Ecclesiam harmonia Spiritus Sancti dicit compositam atque compactam. Quae ut melius intelleganter, bene tenendum est, duplici missione Christum efformasse Ecclesiam, altera, qua misit Apostolos, sicut Ipse missus est a Patre, altera qua misit Spiritum Sanctum. Priori missione datur Ecclesiae forma iuridica et socialis, altera vero forma entitative supernaturalis. Formae autem ambae quasi unam formam constituunt, quia regimen Ecclesiae, quod procedit ex missione iuridica, nil boni efficit, nisi ex virtute

Spiritus, qui donis et charismatibus regimini assistit, et Hierarchiam in exercendo triplici Christi munere Messianico etiam dotibus internis Christo regi, doctori, sacerdoti assimilat. Hac de causa apostoli dicunt: « visum est Spiritui Sancto et nobis », non coordinantes se ipsos potestati Spiritus, sed sese subordinantes, utpote ab ipso Spiritu conducti, et quasi unam cognitionem et sententiam dicentes suam et Spiritus, unamque potestatem: ut scite observat Basilius *Adv. Eunom.* 5, 2: *MG* 29 col. 740-741. Sat audacia videntur verba Angelici, *C. err. Graec.*: Mald. *Opusc.* III pag. 322: « Similis autem error est dicentium, Christi Vicarium, Romanae Ecclesiae Pontificem, non habere universalis Ecclesiae primatum, errori dicentium, Spiritum Sanctum a Filio non procedere. Ipse enim Christus Dei filius suam Ecclesiam consecrat, et sibi consignat Spiritu Sancto quasi suo charactere et sigillo ». Ex missione autem duplici, a Christo perfecta, quae quasi unam missionem efformant, forsan facilius intellegentur. Vide etiam Clem. Pp. XIV *Cum Summi Apostolatus* § 2, 12 Dec. 1769, ubi de visibili Capite agit et de Capite mystico, et Clem. Pp. V *Regnans in coelis*, 12 Aug. 1307, ubi de Ecclesiae illustratione ex virtute Spiritus Sancti; necnon Humbertum Card., *Adv. Simoniac.* III, cap. 29: *ML* 143 col. 188-190.

16. Potest etiam Corpus Christi considerari ratione statuum: militiae terrestris, emendationis purgatorii, gloriae caelestis.

Ratione militiae terrestris Corpus Christi, ut ex omnibus praecedentibus apparet, res simul perfectissima est simulque imperfecta. Est res perfectissima; nam Ecclesia habet Christum Caput et Spiritum Christi animam; virtute organizationis sibi propriae sincere exprimit Christum Salvatorem in omnibus ipsius muneribus et functionibus; membris suis omnia praestat ad salutem necessaria; opus Capitis perenne reddit fide intemerata, legibus sanctissimis, gratiae fontibus uberrimis. — Ex altera parte tamen Corpus Christi in terris res nondum plane perfecta est non solum ratione corporis, sed etiam ratione Capitis et Animae. Caput quidem Christus est: sed Caput illud sese solum visibiliter demonstrat in vicario et sub speciebus eucharisticis. Influit quidem sed nondum influxu pleno visionis et gloriae. Anima quidem est Spiritus Christi cum uberrimis gratiis, donis,

charismatibus; sed nondum effusione illa vitalissima, quae unice habetur in termino. Organa quidem omnia sunt a Christo instituta vel remote ex eius voluntate exorta; eorum tamen operatio fructuosa coarctatur plasmate humano, ex quo componuntur. Membra quidem membra Christi sunt, sed non omnia Christo plane subiecta, cum etiam in Corpore Christi caro concupiscat contra Spiritum. Membra quidem Spiritu Christi vivificantur, sed non omnia vivificatione perfecta illa, qua sana membra corporis constituuntur. In toto quidem Corpore regnat Christus, sed nihilominus in eo adhuc regnat mors, sequela peccati. Vincit quidem Christus in Corpore suo mundum et diabolum, sed eo solo, quod Corpus debet in sese complere, quae desunt passionum Christi. Unum quidem et unicum Corpus Christi est, sed unice per amputationem continuam membrorum putridorum. Sanctum quidem est Corpus Christi, sed unica quia Caput eius, teste Augustino *En. in Psalm.* 85, 5: *ML* 37 col. 1085, continuo recipit, flagellat, mundat, consolatur, creat, vocat, revocat, corrigit, redintegrat. Licet inaesthetica imago sit Augustini, Corpus Christi in terra claudicat. Nec mirum igitur Caput contnuo in caelis interpellare pro corpore quod acquisivit sanguine suo. Quae omnia clare praedicata sunt a Patribus, et etiam hisce nostris temporibus praedicanda sunt, ne fideles multorum peccatis defectionibusque scandalizentur.

17. Corpori terrestri opponitur Corpus caeleste. Vir ille perfectus, mensura illa aetatis plenitudinis Christi, de qua S. Paulus *Eph.* 4, 13, plene non constituitur nisi in gloria. Quam gloriam caelestem Patres quoque haud raro propronunt sub figura Corporis Mystici. Sic iam S. Irenaeus *Adv. Haer.* 3, 19, 3: *MG* 7 col. 941 et saepius Origenes, *In Lev.* hom. 7, 2: *MG* 12 col. 481-482; *In Ioh.* 10, 20: *MG* 14 col. 369-373; *De Princ.* 1, 6, 2: *MG* 11 col. 168, quos ad locos observandum est cum Irenaeum tum Origenem etiam coelestem Ecclesiam vidisse ut organicum quoddam, cum etiam in domo caelesti multae et variae sint mansiones. Dolendum quidem est Origenem visionem suam caelestem maculasse ideis suis apokatastaticis, ut patet ex loco citato *De Princip.* 1, 6, 2 et Hieron. *Ad Eph.* II, cap. 4, 16: *ML* 26 col. 534-535 (502-503), ubi sermo est ex mente Origenis; cum quibus conferas Hieron., *Epist.* 124, 1-4: *ML* 22 col. 1059-

1063; *Epist.* 120, 12: *ML* 22 col. 1004-1005; Rufin., *Apolog.* 1, 41-43: *ML* 21 col. 579-583, atque iterum Hieron., *Apol. adv. lib. Ruf.* 1, 26: *ML* 23 col. 437-438 (418-420).

Maximopere Patrum animos praeoccupavit textus Paulinus *1 Cor.* 15, 28: « Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi (Christo) omnia, ut sit Deus omnia in omnibus ». Ex verbis enim *Filius subiectus erit,* Ariani arguebant contra divinitatem Christi; ex verbis *ut sit Deus omnia in omnibus,* alii deducebant, ut verbis Nazianzeni utar, Filium resolvi debere in Patrem, sicut fax in rogo ingenti consumitur. Contra Arianos Patres aliqui distinguebant Filium secundum naturam humanam a Filio secundum divinam naturam, cf. Chrysost., *In 1 Cor.* hom. 39, 5-6: *MG* 61 col. 340-342 et Did. Alex., *De Trinit.* 3, 20: *MG* 39 col. 894-897. Alii hac solutione non contenti — et iure merito: nam Filius ut homo non erit subiectus, sed semper erat subiectus Patri — solutionem desumpserunt ex applicatione regulae celebris Tychonii: Filium scilicet subiectum fore Patri in Corpore suo mystico; solummodo enim post diem ultimum omnia membra Corporis mystici plene esse subiecta ipsi Christo, et consequenter Christum Mysticum Patri. Cf. Basil., *Epist.* 8, 7-8: *MG* 32 col. 260-261; Caesar. fr. Naz., *Dial.* 3 q. 127: *MG* 38 col. 1023; Theodor., *In 1 Cor.* 15, 25-28: *MG* 82 col. 356-361; Theophylact., *In 1 Cor.* 15, 27-28: *MG* 124 col. 765-768; Hieron., *Dial. c. Pelag.,* 1, 18: *ML* 23 col. 534 (511); Ambrosiastr., *In 1 Cor.* 15, 24-28: *ML* 17 col. 264-265; August., *De div. quaest.* q. 69, 10: *ML* 40 col. 79; Primas., *In 1 Cor.* 15: *ML* 68 col. 550. Iam praecesserat Origenes *De Princ.* 3, 5, 6-7: *MG* 11 col. 331-332. — Quoad verba: « Ut sit Deus omnia in omnibus » Patres arguunt, ut ita dicam, a corpore in Caput: etenim secundum S. Paulum fideles regnabunt in corporibus gloriosis, ergo certe Christus eorum Caput. Cf. Euseb., *Eccl. Theol.* 3, 14-19 et *Contra Marcell.* 2, 4: *MG* 24 col. 1025-1045 et 813-824; Caesar. fr. Naz., *Dial.* 3, q. 129: *MG* 38 col. 1028-1029; Cyrill. Hier., *Catech.* 15, 27-33: *MG* 33 col. 909-916. Nazianzenus vero *Orat.* 30, 6: *MG* 36 col. 112 adversariis opponit *Gal.* 3, 28: ubi ex contaminatione cum *Eph.* 1, 23 legit: « Ubi non est Graecus nec Iudaeus... sed omnia in omnibus Christus ».

Quod ad millenarismum spectat, notatu dignum est, quomodo Berengaudus *In Apoc.* 20, 4: *ML* 17 col. 930 ex

theoria Corporis Mystici explicet locum classicum: « Et vidi... animas decollatorum... et regnaverunt cum Christo mille annis ». Observat, sicut iam antea fecerat S. Augustinus et etiam Beda et Primasius faciunt, mille annos repraesentare periodum inde ab ascensione Christi usque ad iudicium finale. Hoc autem tempus sibi speciale habere, quod in visione beata animae tantum, nondum corpora, Christo coniuncta sint. Animas autem omnes, intrantes post ascensionem Christi, sive prius sive posterius, constituere cum Christo Capite unum Corpus caeleste. Ideoque glorificato uno membro congaudere omnes, et hac de causa gloriam et regnum eorum, qui mox post ascensionem caelum intraverint, etiam esse gloriam et regnum eorum, qui in fine mundi sint intraturi. Sic ipse haud ineleganter et sat ingeniose; cum quibus conferas, quomodo S. Augustinus *Epist.* 199, 9, 25-26: *ML* 33 col. 914 praedilectam suam theoriam Christi in persona Capitis et in persona Corporis applicet ad notam quaestionem sermonis eschatologici ac parousiae Domini. De millenarismo vide Fl. Alcañiz, S. I., *Ecclesia Patristica et Millenarismus*, Granada, 1933 et *Decret. S. Off.* 20 Iul. 1944 de millenarismo mitigato: *AAS* 36, 1944, pag. 212.

Parousia iam nos attentos facit ad distinctionem inter Corpus Christi caeleste ante et post resurrectionem. Ante corporum resurrectionem Corpus caeleste non solum quantitative continuo crescit, sed etiam qualitative nondum definitiva perfectione gaudet. Nam ante resurrectionem mortuorum et glorificationem corporum in caelo nondum adest perfecta conformitas membrorum cum Capite, necdum plena glorificatio Capitis, cum mors, ultima peccati sequela, non iam sit plene profligata. Quare Corpus Christi post diem ultimum est Corpus Mysticum gloriosum per excellentiam: « verius et perfectius Corpus Christi », ut dicit Origenes *In Ioh.* 10, 20: *MG* 14 col. 373, « beata, magna, mystica Ecclesia », ut utar verbis Augustini *Serm.* 252, 7: *ML* 38 col. 1175. Postquam enim Christus resurrexerit in omnibus membris suis, cf. Ambr., *In Luc.* 8, 26: *ML* 15 col. 1773, totum Corpus sensu plenissimo adolevit in virum perfectum, *Eph.* 4, 13 coll. Hieron., *In Ier.* lib. VI, cap. 31, 16-17: *ML* 24 col. 912; insuper erit perfectissime subiectum Capiti eique totaliter conforme; et visionis claritate et corporis glorificatione redundante a Christo Capite in membra rediviva, plane verificatur illud dictum Christi, *Ioh.* 17, 23: « Ut omnes sint con-

summati in unum ». Vide Origen., *De Princip.* 1, 6, 2: *MG* 11 col. 168; Basil., *Epist.* 8, 7: *MG* 32 col. 260; Euseb., *Eccl. Theol.* 3, 18: *MG* 24 col. 1041; Victric. Roth., *De Laud. Sanct.* 7: *ML* 20 col. 449-450.

18. Hodiedum saepe loquimur de Ecclesia patiente. Animas autem fidelium defunctorum sub Christo Capite propositas fuisse ut Corpus quoddam patiens Christi, in antiqua traditione non inveni. Non tamen separantur ab Ecclesia, quae est regnum Christi, ut dicit S. Augustinus *De Civ. Dei* 20, 9, 2: *ML* 41 col. 674, et rationem addit: « quia fideles, etiam defuncti, membra Christi sunt ». Quod clare elucet ex orationibus, quae pro defunctis fundebantur, cf. Origen., *De Orat.* 11: *MG* 11 col. 450 et *Abercii Epitaphium*: Rouët de Journel, *Ench. Patr.* 187; sed summopere ex commemoratione, quae fiebat in sacris mysteriis. Si enim piorum animae mortuorum separarentur ab Ecclesia, nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi, cf. August., *De Civ. Dei* loc. laud. et *Serm.* 172, 2: *ML* 38 col. 936-937; Primas., *In Apoc.* 20: *ML* 68 col. 916; Cyrill. Hier., *Catech.* 23, 9-10: *MG* 33 col. 1116-117; Chrysost., *In Philipp.* hom. 3, 4: *MG* 62 col. 203; Rouët de Journel, *Enchir.* Ind. n. 588. Librum adversus negantes officia pro defunctis esse facienda, scripsit S. Cyrill. Alex., cuius fragmenta habes *MG* 76 col. 1423-1425. Amalarius, *De eccl. off.* III, 10: *ML* 105 col. 107, in ministris Episcopi litantis, partim sedentibus, partim stantibus, quando Episcopus ut Christi vicarius in throno sedet, imaginem videt Ecclesae defunctorum ac Ecclesiae viventium: « Per eos qui sedent demonstrantur membra Christi in pace quiescentia, per eos qui stant in certamine posita ».

Suffragia et sacrificia pro defunctis offerenda, sub aspectu Corporis Mystici, data opera considerat Petrus Vener. Clun., *Contra Petrobrussianos*: *ML* 189, ubi col. 821 haec profert: « Orat... Ecclesia pro requie vel gloria membrorum suorum, ad statum vitae altioris translatorum; et quos fide ac charitate ad membra Domini sui pertinere cognoscit, a fructu bonorum suorum operum non excludit ». Docet deinde col. 823 in Ecclesia bonis vivorum vivos, bonis vivorum mortuos, bonis mortuorum mortuos, bonis mortuorum vivos iuvari posse. Ratio theologica desumitur ex doctrina Corporis Mystici. Capiti enim membra esse similia. Chri-

stum Caput autem vivum mortuis et vivis, mortuum vivis et mortuis emolumento fuisse. Ergo talem bonorum communionem etiam esse asserendam pro membris vivis atque defunctis Corporis Mystici. Argumentum Petri Venerabilis plane approbatur a S. Rob. Bellarmino, *De Purgatorio* 2, 15 et a S. Vincentio Ferr., *Serm.* 23: de Epiph. 4, 2.

19. Haec ultima Cluniacensis expositio, quomodo vivi vivis et mortuis, mortui vero mortuis et vivis auxilio esse queant, nos iam adducit ad illam Corporis Mystici ideam, qua caelestia et terrestria non solum conspirent in unam orationem, Origen., *De Orat.* 11 atque 31: *MG* 11 col. 488 et 553; in unam Dei laudem et gloriam, cf. Cyrill. Alex., *In Psalm.* 64, 2: *MG* 69 col. 1128; sed etiam, coniuncta ut sunt mutuis vinculis in Christo Capite, constituant unam quandam societatem, in qua est bonorum spiritualium communitas quaedam atque communicatio. Est autem haec societas bonorum ea quae nuncupatur *Sanctorum Communio,* intellecta quidem sensu verborum primigeno; quae Sanctorum Communio, licet quoad vocem probabiliter non intraverit in Symbolum ante quintum saeculum (cf. Nicet., *Expl. Symb.* 10: *ML* 52 col. 871), tamen inde ab apostolico aevo mirum in modum splenduit, quando in Sacrificio Eucharistico a vivis pro defunctis oratio fundebatur, sanctorum autem orationi tota commendebatur Ecclesia. Videas ex. gratia Cyrill. Hieros., *Catech.* 23, 9-10: *MG* 33 col. 1116-1117; Const. Apost., *Lit. Clem.* 8, 13: *MG* 1 col. 1108; August., *De Civ. Dei* 20, 9, 2: *ML* 41 col. 674; *Serm.* 285, 5 et 7 et 297, 2, 3: *ML* 38 col. 1295-1297 et 1360 cet. Quae Sanctorum Communio ut fidelibus vel clarius innotesceret, reliquiae Sanctorum ponebantur sub altare, ut sacra illa positione indicaretur intima eorum unio cum Capite Christo teste Berengaudo, *In Apoc.* cap. 6, 9: *ML* 17 col. 839: « Altare Dei Christus est: animae igitur Sanctorum sub altare quiescunt, quia sicut capiti supposita sunt membra eique cohaerent, ita et animae Sanctorum in caelesti gloria constitutae, Christo Salvatori subiectae sunt, eique per coniunctionem membrorum nectuntur ». Constituunt autem sancti martyres quasi unum advocatum cum Christo Capite, ut pulchre notat S. Augustinus *Serm.* 285, 5: *ML* 38 col. 1295. Quid sibi voluerit idea Communionis Sanctorum tempore

Theodoreti, vide in *Graec. aff. curat.* serm. 8 de martyribus: *MG* 83 col. 1011 et 1032-1033, quae in profundissima medii aevi obscuritate, ut aiunt, videntur conscripta! Ipsius rei expositionem breviorem in luce doctrinae Corporis Mystici vide apud Chrysostomum, *Serm. in S. Rom.* 1, 1: *MG* 50 col. 606; longiorem sed licet in eadem luce non ita lucidam vide apud Victric. Roth., *De Laud. Sanct.* 7-12: *ML* 20 col. 448-458. Incipit ab unitate naturali totius generis humani, exponit dein unitatem Corporis Christi et quomodo Sancti nobiscum in Christo uniti sint, ut tandem probet reliquiarum divisionem magis ostendere unitatem Corporis quam contrarium.

Observatione haud indignum est, Sanctorum Communionem non tantum esse in mutuo intercessionis adiutorio, sed etiam in applicatione thesauri meritorum Christi et Sanctorum tum ad vivos per modum absolutionis, tum ad defunctos per modum suffragii; cf. Clem. Pp. VI in indictione iubilaei, 25 Ian. 1343: *Denzinger* 550-552; Leon. Pp. X *Cum postquam*, 9 Nov. 1518, *Denzinger* 740[a], olim 3051; *CIC* can. 911. Pulchre de hac re scripsit Clemens Pp. XIV in bulla iubilaei *Salutis nostrae auctor*, 30 Apr. 1774, in § 2: « Quaecumque dispensationi Nostrae sunt traditae a Christi sanguine profluentes clementiae et miserationis divitiae, universas reserabimus. Praeterea locupletissimam satisfactionum copiam, quae beatissimae Dei Matris atque apostolorum meritis, sanguine martyrum, bonorum omnium denique sancte pieque factis continentur, vobis affatim patefacturi sumus, quo faciliorem pacis ac veniae consequendae aditum, tam amplis subsidiis a Sanctorum Communione profectis, praestemus. Sanctorum siquidem praeclara societate ac communione coniungimur, quicumque in unum Ecclesiae Corpus, quod Christi Corpus est, colligati sumus. Omnes illius sanguine irrigamur ac vivificamur, et singulis prodesse singuli possumus. Quo enim clarior esset atque illustrior sui amoris ac misericordiae magnitudo, atque infinita passionis ac meritorum suorum vis atque efficacia: redundare eandem voluit ac adiungi reliquis Mystici Corporis partibus, ut ipsae etiam mutua inter se opera atque utilitatum communicatione, ab illo gratiae fonte derivata, propter unitatem iuvarentur; utque hunc in modum Aeterni Patris benignitas ad clementiam erga hos adhiben-

dam, et immenso Filii sui sanguinis pretio, et illius causa ac virtute, Sanctorum etiam meritis ac suffragationis accessione moveretur », cf. *Bull. Cont.*, ed. Prati IV pag. 716-717. Cum quibus compares velim verba Leonis XIII *Mirae Caritatis*, 28 Mai 1902: *ASS* 34 pag. 649: « Nihil enim est aliud Sanctorum Communio, quod nemo ignorat, nisi mutua auxilii, expiationis, precum beneficiorum communicatio inter fideles vel caelesti patria potitos vel igni piaculari addictos vel adhuc in terris peregrinantes, in unam coalescentes civitatem, cuius caput Christus, cuius forma caritas ».

Notandum quoque est intellectum primigenum Communionis Sanctorum, bonorum spiritualium dico communitatem et communicationem, temporibus aetatem Patrum subsequentibus, haud raro locum cessisse diversi generis conceptibus, qui magis accedunt ad ideam « Ecclesiae quae in Sanctis est » vel ad ideam « Ecclesiae quae est in fidelibus », quales eas supra numeris 8 et 9 explicavimus, vel etiam ad ideam unionis ratione usufructus eorundem Sacramentorum. Quod ratio fuit Calvino aliisque pseudo-reformatoribus, ut cum conceptu primigeno etiam id quod conceptui primigeno subest, simpliciter reicerent. Cum aqua balnei, quam iniuria sordidam putabant, eiecerunt eheu. quod ipsis saepius accidit, ipsum infantem. De modificationibus conceptus vide *Dict. de Théol. Cath.* in voce, V col. 443 sqq. S. Thomas in opusculo *de Symbolo* in sanctorum communione duplex elementum distinguit. Sicut in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonum totius corporis: ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia. En primum elementum. Quia vero inter alia membra Ecclesiae principale membrum est Christus, quippe quia Caput est Ecclesiae, communio sanctorum principalis est in eo quod Christus per sacramenta virtutem passionis membris Corporis Christi applicat. En elementum alterum.

20. Iam ad ultimam quaestionem accedimus, in qua attingitur relatio, quae est inter Ecclesiam et Statum Civilem. Docet Leo Pp. XIII in Encyclica *Immortale Dei*: *ASS* 18 (1885) pag. 166, *Denz.* 1866, Deum humani generis procurationem inter duas potestates partitum esse, ecclesiasticam videlicet et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam; utramque in genere suo maxi-

mam; utramque habentem certos, quibus contineatur, terminos eosque sua cuiusque causa atque natura proxime definitos, unde aliquis velut orbis circumscribatur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Ex altera parte in mox sequentibus etiam docet inter duas potestates non exsistere debere plenam secessionem unius ab altera multoque minus contentionem, sed vigeat oportere mutua concordia. Inde decursu temporum duo quoque conceptus Corporis Christi, unus, quo sumitur Ecclesia prout distincta a republica, alter quo sumitur Ecclesia ut cooperatio utriusque potestatis: brevi: respublica Christiana.

Uterque aspectus iam apparet tempore Patrum. S. Iohannes Chrysostomus, *Ad 2 Cor.* hom. 15, 4-5: *MG* 61 col. 508-512 longe et late exponit distinctionem inter potestatem temporalem et spiritualem, quam ultimam alte excellere contendit. Etiam S. Ioh. Damasc., *De Imag.* 11, 12: *MG* 94 col. 1296-1297 distinctionem verbis severis urget: ad imperatorem spectare rectam rei publicae administrationem, ecclesiasticum vero regimen ad pastores et doctores; imperatori parendum in iis quae ad saeculi negotia pertineant, ad res ecclesiasticas ordinandas adesse pastores; non transferendos esse terminos antiquos; si enim in parvis rebus Ecclesiae aedificium quis demolire coeperit, totum aedificium paulatim dissolutum iri. Et cap. 16 col. 1304 addit Ecclesiam administrari non edictis imperatoris, sed Patrum institutis sive scriptis sive traditis. Ex altera parte observat Theodoretus, *In Isaiam* 11, 6: *MG* 81 col. 316 imperatores, praefectos, magistros militum, milites, opifices, famulos, mendicos, uni sacrae mensae simul participare et eundem audire sermonem. Quae relatio personalis, ut ita dicam, Ecclesiae et potestatis civilis, iam magis apparet ut relatio realis, quando S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 17, 8-9: *MG* 35 col. 975 collato *Orat.* 2, 3: *MG* 35 col. 409 publice profert potestatem civilem et potestatem spiritualem sese habere ut corpus ad animam; principes quoque et praefectos imperio ac throno Episcopi lege Christi esse subiectos. Etiam praefectum civilem Christo conregnare et coniudicare, a Christo ipsum gladium accepisse, ut Ei qui dederit gladium, gladium immaculatum conservet.

Quod ad Latinos spectat ante omnia noto textum famosum S. Optati Mil., *De Schismate Donat.* 3, 3: *ML* 11

col. 999: non rempublicam esse in Ecclesia, sed Ecclesiam esse in republica. Hoc autem confirmari verbis *Cantici* 4, 8: « Veni, sponsa mea, inventa de Libano »; Libanon enim significare imperium Romanum. Sensus est, non imperium conditum esse in Ecclesia praeexsistente, sed Christum condidisse Ecclesiam suam in Romano imperio et non alibi, cum imperium Romanum, ubi religio, sacerdotium, virginitas iam quodammodo honorabatur, locus electus esset, ubi Christus cum Sponsa sua iniret matrimonium. Hisce verbis mystice exprimitur, quomodo potestas civilis condicionem creare possit ac debeat, in quibus religio Christi facilius crescere possit ad plenam aetatem Christi. Idem docet S. Augustinus *De Civ. Dei* 5, 24: *ML* 41 col. 170 sq. agens de vera felicitate principis Christiani: tunc scilicet principes summam felicitatis habituros, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum Maiestati eius famulam faciant. Collaboratio mutua Ecclesiae et imperii etiam inculcatur a S. Leone Magno. Etenim *Epist.* 15 praef.: *ML* 54 col. 680 exponit Turibio Episcopo Patres semper egisse contra haereses; multum iuvasse hac in re auxilium principum; ecclesiasticam enim lenitatem refugere cruentas ultiones; sed severis principum constitutionibus factum esse, ut ad spirituale nonnumquam recurrerent remedium, qui timerent corporale supplicium. Ubi autem propter reipublicae periculum difficiles factae essent conventus Sacerdotum, haereses iterum crevisse. Et *Epist.* 164, 1: *ML* 54 col. 1148-1149 scribens ad Leonem Augustum, exposita haereticorum simulatione addit: « Agnosce igitur, auguste et venerabilis imperator, in quantum totius mundi praesidium divina sis providentia praeparatus; et quid auxilii Matri tuae Ecclesiae debeas, quae te filio maxime gloriatur, intellege ». *Serm.* vero 36, 3: *ML* 54 col. 255 dicit nihil magis regium ornare principatum, quam quod Domini mundi membra sint Christi: nec tam glorientur quod in imperio geniti, quam gaudeant, quod in baptismate sint renati. Hac de causa exoptat ut imperator non solummodo regiam sed etiam sacerdotalem gerat mentem. « Quantum praesidii Dominus Ecclesiae suae in fide Vestrae Clementiae praeparavit », ita ad Theodosium Augustum *Epist.* 24, 1: *ML* 54 col. 735: « his etiam litteris, quas ad me misistis ostenditur,

ut vobis non solum regium, sed etiam sacerdotalem inesse animum gaudeamus ».

Notatu quoque dignissima sunt, quae Ecclesiae pastor per excellentiam, S. Gregorius Magnus suo modo evolvit *Moral.* 31, 5, 7 - 7,10: *ML* 76 col. 575 - 579. Contra hostium duritiam, ita fere Pontifex, quia propria virtute non sufficit, Ecclesia rhinocerotis i. e. terreni principis opitulationem quaerit. Pravorum potentiumque duritiam, cui ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate dissolvit. Sic terreni regni culmina ad provectum regni caelestis inclinantur, et Deus vires, quas temporaliter principi contulit, ad cultum suae venerationis inclinat. Deus terreno principi converso concredit, quam morte sua mercatus est, Ecclesiam, quia ei pacem fidei committit tuendam. Rhinocerote ad Christum converso, leges fiunt in bonum Ecclesiae, immo aliis gentibus suadetur, ut fidei gratiam acceptent. Attamen forsan aliquando Ecclesia gravius affligitur tempore pacis quam persecutionis. In persecutione enim timet, ne bonos amittat; conversis principibus timendum, ne mali intrent sese false bonos esse simulantes. — Ita Pontifex de rhinocerote. Ad huiusmodi scribens, dico ad Mauricium Augustum *Epist.* III, 65: *ML* 77 col. 663, haec profert: « Ad hoc enim potestas super omnes homines dominorum meorum Pietati caelitus data est, ut qui bona appetunt adiuventur, ut caelorum via largius pateat, ut terrestre regnum caelesti regno famuletur ».

De re nostra etiam loquitur anno 532 S. Fulgentius Rusp., *De Ver. Praedest.* 2, 22, 38-40: *ML* 65 col. 647-649. In Ecclesiam neminem Pontifice potiorem, in saeculo neminem potiorem Christiano imperatore. Episcopum vas electionis esse, si pro grege sibi credito militet verbo, opere, exemplo. Imperatorem, si in culmine imperiali recta fide vivat; si culmen regiae dignitatis sanctae religioni subiciat; si in timore Domini magis serviat quam in tumore dominetur; si excolat virtutes statui suo maxime proprias; tandem (verbotenus refero) « si prae omnibus se Sanctae Matris Ecclesiae Catholicae meminerit filium, ut eius paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse faciat suum principatum. Magis enim *Christianum* regitur ac propagatur *imperium*, dum ecclesiastico statui per uni-

versam terram consulitur, quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur ».

Ex considerationibus supra allatis, in quibus omnibus desiderium elucet concordiae verae simul et collaborationis sincerae inter Ecclesiam et Statum, et quidem ita ut potestas civilis missionem divinam Ecclesiae agnoscat eique vires suas praebeat ad facilius extendendum Regnum Christi, paulatim exorta est ea Corporis Mystici idea, qua Ecclesia Christiana et imperium Christianum per modum unius comprehenduntur.

In Concilio sexto Parisiensi lib. I cap. 2 et 3 res claris verbis exprimitur, cf. Mansi, *S. Conc. nov. Coll.* 14 pag. 537. Est autem synodus habita iussu Ludovici Pii anno 829. Caput alterum sic incipit: « Primum igitur, quod universalis Sancta Dei Ecclesia, unum Corpus manifeste esse credatur, eiusque Caput Christus ». Allatis Pauli testimoniis tribus, et repudiato Corpore diaboli inimico Corporis Christi, caput tertium sic initium sumit: « Principaliter itaque totius Sanctae Dei Ecclesiae corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet et regalem, sicut a Sanctis Patribus traditum accepimus, divisum esse novimus ». In cuius rei fidem citatur Gelasius Pp., *Epist. ad Anast. Imp.* 3: ed. Thiel pag. 349-350; Kirch, *Ench.* ed 4, n° 959[1], et quae supra citavimus ex S. Fulgentio Ruspensi. In eadem idearum linea Contin. S. Thomae, *De Regno* 3, 10, ed. Mand. I pag. 400 affirmat: « Sicut corpus per animam habet esse, virtutem et operationem... ita et temporalis iurisdictio principum per spiritualem Petri et successorum eius ». Quare *ibid.* 3, 17 pag. 417 statuit: « Imperatorum imperium ad exsequendum regimen fidelium secundum mandatum Summi Pontificis ordinari, ut merito dici possint ipsorum exsecutores esse cooperatores Dei ad gubernandum populum Christianum ». Tota quoque disputatio saec. XIII et XIV habita inter theologos Curiae Romanae et regalistas supponit conceptum talem Corporis Mystici, ut et Ecclesiam et Imperium includat Christianum. Sed dum regalistae contendebant in Corpore Christi esse duo capita ministerialia, Papam dico et Imperatorem, theologi Catholici defendebant unum tantum esse in Corpore Mystico Caput, Christum videlicet eiusque Vicarium Petrum, imperatorem vero considerabant velut organon, Christi Vicario seu Capiti visibili

subiectum, secundum alios directe, secundum alios indirecte tantum, cf. Gregor. Pp. IX in bulla *Fraternitatis tuae* § 9, 26 Iul. 1232, ubi docet corpus Ecclesiae cum duobis capitibus esse monstruosum, sine capite autem acephalum; et in bulla *Cum iuxta testimonium* § 2, 18 Maii 1233, ubi latius exponit theoriam duplicis gladii; quam Gregorii doctrinam sequitur 18 Nov. 1302 Bonif. Pp. VIII in bulla *Unam Sanctam*, apud *Denz.* 468-469[1]. Tum Corpus Iuris Canonici, tum S. Bellarminus, tum Suárez totam rempublicam Christianam, inclusa quoque civili potestate, sibi proponunt ut unum Corpus Mysticum, in quo secundum doctrinam Nazianzeni expresse citatam potestas civilis et potestas spiritualis sese inter se habent ut corpus et anima. Cf. *Decr. Grat.* dist. 10 can. 6; Suárez, *De legibus* 3, 6, 5: ed. Vivès 5 pag. 193 et 193. En verba Bellarmini, *De transl. Imp. Rom.* 1, 12: ed. Nap. 4, II pag. 80-81: «Licet potestas ecclesiastica quae in S. Pontifice potissimum residet, et potestas politica, quam praeter caeteros principes imperator Romanus habet, non modo duae sint ac distinctae finibus et officiis, sed etiam separatae interdum inveniantur (nam aliquando Ecclesia nullos habuit politicos principes, et nunc etiam multi sunt principes ac reges extra Ecclesiam); tamen quando principes sunt Christiani, et in Ecclesiae Catholicae membris ac filiis numerantur, duae illae potestates ita coniunguntur ac conveniunt inter se, ut unam rempublicam, unum regnum, unam familiam, immo et unum corpus efficiant. Unum enim, ut Apostolus ait ad *Rom.* 12, sumus corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra. In hoc autem corpore mystico Ecclesiae, potestas ecclesiastica veluti animus quidam est, politica autem veluti corpus, ut S. Gregorius Nazianzenus docet etc. (sequuntur argumenta) . . . ; ut eo modo iuxta B. Gregorii sententiam lib. 2 epist. 61 (3,65) terrestre regnum caelesti regno famuletur», cf. supra pag. 157.

[1] De spirituali gladio, quibus interficiuntur haeretici, iam Rabanus Maurus, *In Machab.* II, 12: *ML* 109 col. 1248; de duplici gladio iam S. Bernardus, *Epist.* 256, 1-2: *ML* 182 col. 464, et *De Consid.* IV, 3, 7: *ibid.* col. 776 cum nota. Scriptus est liber de Consideratione circa annum 1150.

Non huius loci est fusius explicare, quomodo regimen, civile, Ecclesiae catholicae leges agnoscens, considerari possit ut functio quaedam specialis in Corpore Christi. Id explicavi in *Periodicis de re mor. can., lit.* 25 (1936) pag. 89*-99*: *A. C. in Republica Christiana.*

Scias etiam, aliquando a scholasticis ipsam rempublicam vocari corpus mysticum, cf. Suárez, *De legib.* 3, 2, 4: ed. Vivès V, pag. 181. Restant quaedam addenda de corpore diaboli, cuius mentio iam fuit supra pag. 158, ubi de Concilio Parisino.

CAPUT QUINTUM

Appendix de corpore diaboli

Corpori Mystico Christi nonnumquam opponitur corpus diaboli vel corpus antichristi, quae oppositio suum habet fundamentum in ipsa Sacra Scriptura. Notum enim est, quomodo Christus *Mt* 12, 25-28 et locis parallelis regnum Dei, quod annuntiat, obiciat regno diaboli, sicut etiam in Apocalypsis capite XVII regnum antichristi depingitur ut bestia quaedam, cum qua Agnus praelium est initurus. Et sicut iusti in sacris paginis dicuntur nati ex Deo, cf. *Ioh.* 1, 13: sic etiam peccatores dicuntur nati ex diabolo, cf. *Ioh.* 8, 44 et 1 *Ioh.* 3, 8-12.

Apud Graecos corpus diaboli sat raro commemoratur, quod aliquatenus mirum videretur, si nesciremus multos de authentia Apocalypsis dubitasse. Etenim iam S. Irenaeus, *Adv. Haer.* 5, 25, 1-4; 5, 28, 2; 5, 29, 1: *MG* 7 col. 1189-1192, 1198-1199, 1202, apostasias, haereses, oppressiones diabolicas ut quandam recapitulationem antichristi recapitulationi Domini Nostri opponit, dum 3, 17, 3; *MG* 7 col. 930 comparat diabolum, tamquam fulgur e caelo proiectum, ignem comburentem et antidicum, cum Spiritu Christi, tamquam pluvia de caelo descendente, rore fructificante et paracleto. Sed suggestio ab Irenaeo facta a Graecis non evolvitur. Nam ut omittam S. Basilium *In Psalm.* 7, 8: *MG* 29 col. 248 docentem diabolum secundum 1 *Ioh.* 3, 8 per iniquitatem concipere et parturire peccatores: paucissimi sunt,

qui corpus quoddam diaboli adstruunt, ut facit S. Cyrill. Alex., *In Habac.* 23: *MG* 71 col. 877, ubi exponit omnes qui adhaerent Deo, unum spiritum esse cum Deo et ratione simili omnes qui adhaereant diabolo, unum corpus cum diabolo ipso; ideoque Magos ex Oriente, qui adoraverint Christum modo natum, olim instrumenta diaboli fuisse et ex membris eius longe honoratissimis. Non absque re erit, Graecis etiam adnumerare S. Hilarium, qui *In Psalm.* 139, 14: *ML* 9 col. 822 dicit: « Ut enim omnibus sanctis caput Christus est, ita omnibus iniquis caput diabolus est ».

Idea recapitulationis diabolicae, quam statuit Irenaeus, apud Latinos evolvitur duce Tychonio Donatista, qui circa annum 380 confecit commentarium famosum in Apocalypsin, deperditum quidem, sed a posterioribus saepissime adhibitum. Theoriam suam de Corpore Christi et de Corpore diaboli Tychonius exposuit in *libro regularum* composito anno 382, quem habes *ML* 18 quemque iterum edidit Burkitt in *Texts and Studies* III, 1, Cambridge 1894; cuius compendium vide apud August., *De Doctr. Christiana* 3, 30, 42-3, 37, 55: *ML* 34 col. 81-90. Septima autem regula est de diabolo et eius corpore, qui cum impiis constituat unum Corpus, sicut Christus cum beatis. Sicut autem Scriptura loquatur de Christo, tum prout Ipse personam capitis gerit, tum prout personam gerit corporis; sic etiam modo duplici loqui Scripturam de diabolo. Influxus Tychonii statim apud Latinos apparet. Si v. g. S. Ambrosius, *In Psalm.* 35, 27: *ML* 14 col. 965 observat impios esse membra diaboli, sicut Sanctos Christi, nil facit nisi repetere Hilarium, cuius verba *In Psalm.* 139, 4 modo citavimus: attamen in commentario eius *In Psalm.* 37, 9: *ML* 14 col. 1013 iam sentitur Tychonius: « Sicut enim Sancti corpus et membra sunt Christi: ita peccatores, qui peccatum non deserunt, sed peccato inhaerent, corpus draconis et membra sunt. Ideo nos Christi corpus epulamur: illi autem corpus epulantur draconis; nos epulamur, qui Christo adhaerere contendimus, remissionem quotidianam et veniam peccatorum; illi autem, qui peccatis quotidie peccata connectunt, continuationem flagitiorum epulantur et criminum ». Ambrosiaster vero *Quaest. ex utr. Test.* 113: *ML* 35 col. 2341 peccatum diaboli in hoc fuisse existimat, quod voluerit esse caput et principium ceterorum, quod non ipsi debebatur sed unice Salvatori. Ab

Augustino Tychonii regulas magni fuisse habitas, licet non omni ex numero approbatas, notum est. Quod ad corpus diaboli spectat, Corpori Christi opposito, vide *De Gen. ad litt.* 11, 24, 31: *ML* 34 col. 441-442, ubi septima Tychonii regula cum exemplis illustratur; deinde *In Psalm.* 139, 2: *ML* 37 col. 1804, necnon *Serm.* 144, 5, 6: *ML* 38 col. 790, ubi in verbis S. Doctoris: « quemadmodum nobiscum, id est *cum corpore suo* unus est Christus: sic cum omnibus impiis, quibus caput est, *cum quodam corpore suo* unus est diabolus » notes ea quae cursive sunt conscripta. Licet in forma omnino diversa, tamen etiam in libris *De Civitate Dei* apparet corpus diaboli. Etiam S. Hieronymum cognovisse Tychonii regulas apparet ex *Comm. in Iob* cap. 29: *ML* 26 col. 744. Quod ad posteriores spectat nota Cassiod., *In Psalm.* 51, 5: *ML* 70 col. 375 collata Praefat. 13 col. 18, et Prosp. Aquit.(?), *Lib. de prom.* 4, 13: *ML* 51 col. 848. Maioris momenti autem sunt *Moralia* S. Gregorii Magni et Commentaria quaedam in Apocalypsin.

In libris *Moralium* Sancti Gregorii Magni corpus diabolicum haud raro apparet, praesertim, ubi Leviathan proponitur ut figura Antichristi, cf. *Iob.* cap. 40 et 41 collat. *Apocal.* 13. Docet autem Pontifex diabolum vel antichristum esse caput, sequaces eius constituere corpus diaboli, cf. 9, 28, 44: *ML* 75 col. 883 et 13, 34, 38: *ML* 75 col. 1034 necnon 30, 8, 26: *ML* 76 col. 538. Inter diaboli membra distinguit ossa et carnes: seductores scilicet et seductos, cf. 32, 17, 29: *ML* 76 col. 654; membra et membra de membro, puta praepositos et inferiores, cf. 34, 4, 8: *ML* 76 col. 722; dentes id est pseudo-apostolos, cf. 33, 27, 47: *ML* 76 col. 703; oculos et os videlicet malos consiliarios et malos praedicatores, cf. 33, 33-34, 57-58: *ML* 76 col. 710. Sicut autem exsistit Ecclesia universalis inde ab Abel, sic etiam antichristus suam habet universalem Ecclesiam, cuius membra sunt Cain, Iudas, Simon Magus cet., qui licet antichristum praecedentes, tamen mala sua actione cum antichristo erant uniti, cf. 29, 7, 15: *ML* 76 col. 484-485. Sicut exsistit Electorum Ecclesia, sic etiam ecclesia reproborum, cf. 34, 4, 8: *ML* 76 col. 722, cuius nota manifestans est ingens superbia, cf. 34, 23, 56: *ML* 76 col. 750. Facit etiam antichristus falsa miracula, significata sternutatione capitis Leviathan, cf. 33, 32, 56: *ML* 76 col. 709. Praedicatione vero catholicae veri-

tatis membra ex corpore diaboli abscinduntur, cf. 33, 17, 33: *ML* 76 col. 694. Tandem Gregorius exponit Tychonii regulam septimam. Sicut Christus constituit unam personam cum suo Corpore, sic et diabolus cum suis sequacibus. Inde in exponendis sacris litteris semper videndum, utrum, ubi quaestio est de diabolo, agatur de diabolo in persona corporis vel capitis, vel etiam de membro corporis in persona membri vel in persona ipsius diaboli, cf. 9, 28, 44: *ML* 75 col. 883 et 13, 34, 38: *ML* 75 col. 1034. — Mirum parallelismum inter Ecclesiam Christi et coetum diaboli in *Moralibus* clare apparere, nemo facile negabit.

Quod ad Commentaria in Apocalypsin spectat, prae ceteris noto opera Primasii, Berengaudi et Bedae Venerabilis. Relate ad Primasium cf. *In Apoc.* I, cap. 1: *ML* 68 col. 803 (diaboli corpus est regnum mortis in inferno); IV, cap. 13 et 17 col. 877-879 et 898-901 (de bestia apocalyptica eiusque corpore et capitibus); V, cap. 18 col. 908 (Babylon est corpus diaboli): V cap. 19 col. 913 (de diabolo et antichristo praepositis corporis). — Quoad Berengaudum, videbis eum Tychonii regulas raro applicasse. Vide quoad rem nostram *In Apoc.* 6, 7: *ML* 17 col. 834, ubi David decapitans Philitaeum figurare dicitur Christum, separantem electos a corpore diaboli; 16, 2 col. 903-904, quo in loco agitur de charactere diaboli: 17, 7 col. 912 de bestia apocalyptica; necnon 17, 10 col. 913 ubi inventores errorum dicuntur fundamenta civitatis diaboli, sicut Apostoli sunt fundamenta Ecclesiae. — Quod Bedam Venerabilem attinet, ipse in epistola dedicatoria *Explanationis Apocalypsius*: *ML* 93 col. 131-134 explicat regulas septem Tychonii. Corpus autem diaboli attingit cap. 9: *ML* 93 col. 160; cap. 11 col. 162; cap. 12 col. 166; cap. 13 col. 169; cap. 16 col. 180-181; cap. 20 col. 193. Quibus adde *In Hexaem.* I; *In Gen.* cap. 34; *In Sam.* II cap. 10; *In Tob.* cap. 6: *ML* 91 col. 57, 261, 529, 928-929 et *In Luc.* cap. 4: *ML* 92 col. 368.

Inde a tempore Caroli Magni corpus diaboli in medio aevo locum sat magnum occupat. S. Paulinus Aquil., *Contra Felic. Urgell.* I, 3: *ML* 99 col. 353 haeresim considerat ut semen diaboli ex adulterino coniugio, et *ibid.* cap. 23, col. 375 diabolum vocat caput reproborum, cuius varia membra distinguit et enumerat. Heterius et S. Beatus de corpore diabolico late tractant in libro secundo *Epist. ad Elipandum*

qui inscribitur: « De Christo et eius corpore, quod est Ecclesia, et de diabolo et eius corpore, quod est Antichristus »: *ML* 96 col. 977: ex quo libro notes cap. 28-32, col. 993-996 ac cap. 89-104, col. 1022-1030; ex quibus locis videre est, quomodo ad formandum conceptum corporis diaboli non solum contribuerit bestia, apocalyptica, *Apoc.* 12-13, sed etiam descriptio behemoth apud *Iob.* 40, 16-28. Alcuinus de eodem argumento agit *In Apoc.* lib. IV et V: *ML* 100 col. 1123-1156, ubi describuntur capita, partes, cauda bestiae apocalypticae, cf. IV cap. 8, 7; 8, 15, col. 1136 et 1142-1143; V cap. 11, 6 et 12, 1, col. 1148 et 1152-1154. Rabanus Maurus *In I et II Machab.* considerat Antiochum (mysticus vel typicus Antiochus) ut figuram gerentem diaboli vel Antichristi, cf. I, cap. 7 et 15; II, cap. 5 et 7: *ML* 109 col. 1175, 1211, 1234-1237, cui opponitur Mater Machabaeorum cum septem filiis, duce Machabaeo spirituali seu Juda typico, i. e. Ecclesia roborata donis septem Spiritus Sancti sub Christo Domino, cf. II, cap. 7 et 10 et 12: *ML* 109 col. 1236, 1242, 1245. Corpus autem Antichristi describit ex analogia behemoth et in oppositione ad Corpus Christi quod est Ecclesia *De universo* VI, 1: *ML* 111 col. 162 et 163; corpus vero diaboli cum membris eius *ibid.* VI, 3: *ML* 111 col. 179-180. Ratramnus, *De praedest.* II: *ML* 121 col. 76-77 docet in corpore Antichristi esse omnes iniquos, sicut in corpore Christi sunt omnes sancti. Rupertus Tuitiensis Ecclesiae opponit corpus Cain, corpus Antichristi, corpus diaboli, et synagogam, Christo repudiato, sub sponso diabolo. De corpore Cain confer *In Gen.* IV, 4: *ML* 167 col. 328 collato *De Sp. Sancto* VI, 19: *ML* 167 col. 1752, ubi opponitur Ecclesia inde ab Abel ecclesiae inde a Cain. De corpore diaboli vide *In Lev.* II, 22: *ML* 167 col. 809; *De Sp. Sancto* VIII, 17: *ML* 167 col. 1802; *De glorif. Trin.* III, 11: *ML* 169 col. 62, *In Os.* I: *ML* 168, col. 39, ubi de Tychonio; et prae aliis *In Iob.* XL, 10-15; 20-28; XLI, 1-14; *ML* 168 col. 1180-1182; 1184-1186; 1186-1189, ubi depingitur corpus diabolicum sub imaginibus behemoth et leviathan. De corpore Antichristi cf. *De Sp. Sancto* VI, 14: *ML* 167 col. 1747; *In Apoc.* VII et VIII: *ML* 169 col. 1042-1046 et 1065-1066. Quattuor autem conceptus arcte connectuntur. Sicut enim Ecclesia fidelium aedificatur ex sequacibus Abel, sub Christo Sponso et Capite, in quo corporaliter inhabitat ple-

nitudo deitatis: sic synagoga malorum ex asseclis Cain, sponso et capite ipso Antichristo, in quo diabolus operatur mysterium iniquitatis. Vide etiam *In Gen.* II, 28: *ML* 167 col. 274 et *De vict. Verbi* XI, 5: *ML* 169 col. 1446. De Concilio Parisino sub Ludovico Pio, *Mansi* XIV pag. 537 iam supra diximus pag. 158. S. Thomas de corpore diaboli, in quo Antichristus est caput, quia in eo malitia diaboli eminentius impressa invenitur, agit *S. Theol.* III, q. 8, a. 7 et 8. Membra Antichristi commemorat Gregorius VII, *Gratias agimus,* 25 Jul. 1076; membra seminatoris discordiae (diaboli) Clemens VI, *Petitio pro parte* § 5, 2 Sept. 1346; item membra diaboli Wicleff atque Hus in suis erroribus condemnatis, cf. *Denz.* 588 et 628. Nec idea, quod homo originali peccato fit quodammodo membrum diaboli, absque momento erat in disputationibus quae fuere de immaculata Conceptione B. M. Virginis.

Inter Graecos, initio capitis citatos, non nominavi Olympiodorum Alexandrinum, cui ascribitur *Commentarius in Beatum Iob,* in quo ad cap. 40-41 data opera agitur de corpore diaboli: *MG* 93 col. 419-450: videtur enim liber compositus a Niceta Heraclaeensi, qui floruit exeunte saeculo undecimo. Initio capitis 40 dicit multos, qui in Ecclesia claruerint, ea quae de Leviathan in Iobo dicuntur, ad diabolum retulisse, cf. col. 422; et in fine capitis 41 Scripturam in dracone ὡς ἐν σωματοποιίᾳ malitiam et indomitam naturam daemonis depinxisse, ut formidine perculsi ad Christum refugeremus. Non solum describit membra diaboli v. g. ad 40, 9 col. 425 (cauda Antichristus); ad 40, 19 col. 428 (nervi seductores); ad 41, 5 col. 440 (dentes pseudodoctores): sed expresse corpus diaboli Corpori Christi opponit. Sicut Ecclesia tamquam nova Eva formatur e costa novi Adae, sic haereticorum Synagogae e costa Satanae, cf. ad 40, 13 col. 427; sicut in Ecclesia iuxta unicuiusque analogiam, varia membra Christi appellantur, oculi, pedes et sic de ceteris: ita in sequela satanae varia membra draconis, cf. ad 40, 13 *b* col. 427; quemadmodum Ecclesia constituit Corpus Domini, sic peccatores et daemones corpus diaboli, cf. ad 41, 14 col. 444.

Operae pretium esset indagare, a quibusnam e *Commentariis* deperditis *in Iob* compilator dependeat: cf. Ps. Origen., *Enarr. in Iob.* 40-44: *MG* 17 col. 98-106; Chrysost.,

Fragm. in Iob.: *MG* 64 col. 654, ubi quaedam vestigia. Haud improbabile est, Patres graecos plura dixisse de corpore diaboli, quam nunc e fontibus elucet.

Ex desiderio quam proxime inter sese opponendi Christum et Antichristum exorti sunt varii errores de generatione Antichristi, v. g. eum esse incarnationem ipsius diaboli, eum opera diaboli nasciturum esse ex virgine, de quibus vide Bellarminum, *De Rom. Pont.* III, cap. 12.

Et haec de corpore diaboli sufficiant. Ad nobiliora accedamus.

SECTIO ULTIMA

Viatoribus Corpus Mysticum Christi est Ecclesia Catholica Romana

1. In aperto collocatum videtur ex capite ultimo sectionis praecedentis conceptum Corporis Mystici iam in antiqua traditione non semper habuisse eundem contentum, non semper eandem extensionem, sed fuisse propositum variis modis cum modalitatibus variis. Quibus non obstantibus omnibus, clarum est exsistere debere conceptum quendam primarium et centralem. Conceptus autem primarius erit ille, qui primario revelatus est in S. Scriptura, qui primario intenditur a magisterio ecclesiastico, qui id sibi proprium habet, ut in eo metaphora *corporis humani* perfectius verificetur. Omissis autem iis, qui in visione gloriae cum Christo coniunguntur vel in purgatorio Domino caritate sunt uniti: contendimus hic etiam in terris exsistere Corpus Christi Mysticum, et Corpus illud sensu stricto intellectum non esse nisi Ecclesiam Sanctam Catholicam Romanam.

2. Est autem assertio non absque pondere ac gravitate. Nam ante omnia: licet non sollemniter definitum sit, Ecclesiam Catholicam Romanam esse Corpus Mysticum Christi: tamen res in fidei deposito ita clare continetur, ut eius negatio dicenda sit haeresis. Quae si iam antea in dubium vocari non potuerunt: certissime non editis encyclicis Pii XII *Mystici Corporis*. Accedit quod multae exortae sunt haereses de natura Ecclesiae praecise ex eo, quod aspectu quodam particulari Corporis Mystici praeelecto ac si esset aspectus principalis, etiam idea principalior Ecclesiae corruit, ut videre est in erroribus Wicleffi et Ioannis Hus, damnatis in Conc. Constantiensi: *Denz.* 584 et 588, 627-632, 646-647, Lutheri atque Calvini[1]; Paschasii Quesnelli, *D* 1423-1428;

[1] Cf. bibliographiam in fine.

Pistoriensium *D* 1515; quorum omnium erratum est in propositione minori eiusdem syllogismi: Ecclesia teste Apostolo est Corpus Christi; atqui Corpus Christi est tali vel tali modo intellegendum: sequitur aspectus peculiaris v. g. coniunctio iustorum cum Christo Capite; unio Sanctorum inde ab Abel; coetus praedestinatorum in praescientia divina... Ergo etc. Tandem, ut sincere dicam, etiam hodiedum in re nostra defectus quidam claritatis observare est. Et haec est causa, cur nonnulli nimia quadam facilitate, et debitis omissis distinctionibus dicant eos, qui bona fide errant non quidem pertinere iuridice ad Ecclesiam Romanam, tamen minime a Corpore Christi esse separatos; alii vero haud pauci, licet Pius Papa XI in Encyclica sua de sacerdotio pulcherriman vocaverit Mystici Iesu Christi Corporis doctrinam, cf. *AAS* 28, 1936, pag. 12, tamen audientes vocem Corporis Mystici non subridere non possint, dicentes multos quidem sub specie profunditatis sermocinari de Mystico Corpore, interrogatos vero quid praecise realitatis huic locutioni subsit, vel doctissime tacere vel prudentissime dubitare, vel nubilosissime respondere quaestioni positae. Cui superlationi, ut generatim fit, granulum non deest veritatis, sed certe post encyclicam Pii XII *Mystici Corporis* omne subtrahitur fundamentum.

Non tamen agitur, saltem bene consideranti quae in introductione huius tractatus deprompsi ex litteris celeberrimis Leonis XIII *Satis Cognitum*, — utinam omnibus, qui de Corpore Mystico disserunt, haec encyclica semper sit satis cognita, haud aliter ac encyclica modo laudata Pii XII, quae documenti Leonini est diu exoptatum complementum — tamen non agitur, dico, de re difficili, vel saltem non de maiori difficultate quam in qua versantur ii, quibus explicandus est conceptus Ecclesiae. Etiam vox *Ecclesiae* inde ab antiquissima traditione variis et versicoloribus modis intellecta est, ut ex omnibus quae hucusque conatus sum explicare, haud difficulter apparet: et tamen, si interrogas Christianum debite instructum, quid sit Ecclesia terrestris, absque dubio una vel altera formula aequivalenti respondebit: Ecclesiam Christi hic in terris esse societatem illam religiosam a Christo conditam, quae post Domini ascensionem Romano Pontifici subiecta sit. Quasi connaturaliter eligitur conceptus principalior, et licet responsio perfici possit

ratione definitionis, splendida dicenda est, cum obiectum materiale ita distincte indicet, ut perfecte simul ac facillime ab omnibus aliis separetur. Haud aliter quaerenti, quid sit Corpus Christi Mysticum, responderi potest et debet: est Ecclesia Catholica et consequenter Romana. Roganti deinde, cur Ecclesia Romana nuncupetur Corpus Christi Mysticum, respondendum est: eam vocari *Corpus* Christi, cum sit organismus visibilis, a Christo institutus, et a Christo in suo Vicario visibiliter directus; eam vocari Corpus *Mysticum* Christi, cum illa organizatio in sese, in suis organis, in suis membris, principio quodam invisibili a Christo immisso, ab ipso Spiritu Christi, et unificetur et vivificetur et Christo uniatur ac perfecte assimiletur. Haec omnia, ni fallor, clara sunt, quatenus mysteria clara dici possunt. Unum addere iuvat, scilicet vocem Corporis Christi Mystici adhiberi posse dupliciter, prout scilicet illud *mysticum* intellegitur, ut dicunt, reduplicative vel non reduplicative. Si non reduplicative sumitur, Corpus Christi Mysticum est simpliciter Ecclesia Catholica Romana; si verum reduplicative, est eadem Ecclesia, prout et in quantum habet aspectum illum internum, immediate invisibilem — nam mediate videtur influxus Spiritus in Ecclesiae operibus divinis — qualem modo explicavi.

3. Esse Corpus Christi hic in terris Ecclesiam Catholicam, doctrina est Apostoli. Est enim ad mentem Pauli, ut supra exposui in capitulo proprio, Christi Corpus illa organizatio visibilis hierarchica, qualis erat tempore doctoris gentium. Et licet multi acatholici de Ecclesia Paulina loquantur ac si res esset prorsus sui generis, nobis Catholicis fide illuminatis, Ecclesia Paulina est Ecclesia Catholica, quamquam si extensionem localem spectas vel accidentalia in ordine iuris, nondum plene evoluta. Notandum quoque est, quomodo S. Paulus, et ubi agit de templo et ubi agit de sponsa, et ubi agit de Corpore, semper rationem habeat hierarchiae. Nec mirum: nam edoctus est a Christo Domino, qui idem facit in proponenda imagine vitis et palmitum, et maximopere in oratione sua sacerdotali, ubi illud: *ut omnes unum sint,* non solum indicat unitatem invisibilem, sed etiam tali modo visibilem in fidelium concordia cum Hierarchia, ut Ecclesia propter visibilem illam unita-

tem fiat perpetuum motivum credibilitatis: *ut sint consummati in unum et cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos* — apostolos scilicet, missos a Christo, et credituros in Christum per apostolos — *sicut me dilexisti*, cf. *Ioh.* 17, 23 et 18. Immo ubi apostolus Christi praedilectus *Apocal.* 21,9 sqq. depingit Hierosolymam caelestem, clare ostendit, quomodo civitas illa beata originem ducat ex Ecclesia Catholica et Apostolica, cf. supra pag. 66 et 139. Accedit quod metaphora corporis Paulina — corpus, caput, membra, organa, una persona mystica — non plane verificatur neque in unione illa, quae unice est vi incarnationis, neque in Ecclesia inde ab Abel, neque in Ecclesia quae mere in sanctis vel in praedestinatis est, neque in Ecclesia exclusive discente, sed solummodo in Ecclesia catholica hierarchica docente simul et discente, quae continuo magis ac magis semet ipsam aedificat in virum perfectum, in plenitudinem aetatis Christi.

Quod revelatum est in Sacra Scriptura idem tenuere Patres. Verba Pauli: *Corpus Christi quod est Ecclesia* secundum traditionis placita glorificant Ecclesiam Catholicam. Irenaeo Ecclesia est Corpus Christi magnum et gloriosum; dignoscitur autem illud Corpus gloriosum ex successione Episcoporum, cf. *Adv. Haer.* 4, 33, 7 et 33, 8: *MG* 7 col. 1076 et 1077. Basilio ingens gaudium est meditari Dominum nostrum Iesum Christum dignatum esse appellare sui ipsius Corpus universam Dei Ecclesiam, cf. *Epist.* 243, 1: *MG* 32 col. 901-904. Chrysostomus exclamat: « Unum Corpus efficit Christus: qui Romae sedet (n. b.!) Indos scit membrum suum esse. Quid huic congregationi simile? Et omnium Caput Christus », cf. *In Ioh. hom.* 65, 1: *MG* 59 col. 361-362. Augustino vero idem est dicere: Catholica, Corpus Christi, Christus totus, pia mater Ecclesia. Est autem Catholica ea, in qua Episcopi iure dicere possunt: « Ego iubeo, Episcopus iubet, Christus in me iubet! ». Sed cur repetere ea, quae fusius antea tot demonstravimus testimoniis? Omnibus Patribus, et haec sufficiant, schisma in Catholica Ecclesia hierarchica, nil aliud est nisi scindere velle Corpus Christi, immo Christum velle dividere; anathematizare autem nil aliud nisi separare a Corpore Christi eos, qui non sinunt vulnera sua curari in Corpore Christi ab Episcopis.

Quod autem veritas qua edocemur Ecclesiam catholicam esse mysticum Iesu Christi Corpus, in Sacra Scriptura et sanctorum Patrum effatis continetur, ipsissimis verbis docet Pius X, *Vehementer Nos*, 11 Febr. 1906: *ASS* 39 pag. 8: « Scriptura, ita Pontifex, eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus, pastorum et doctorum auctoritate administratum, id est societatem hominum, in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate. Est igitur haec societas, vi et natura sua inaequalis; duplicem scilicet complectitur personarum ordinem: pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierarchiae gradibus collocati sunt, et multitudinem fidelium ».

4. Si autem Corpus Christi hic in terra per excellentiam est Catholica Ecclesia, necessario Corpus Christi est Ecclesia Romana: Nam is non est de Ecclesia Catholica, qui Vicario Domini nostri Iesu Christi, Romano Pontifici non adhaereat. Si autem haec vera sunt et fide divina credenda: etiam verum est et fide credendum, Caput Corporis Christi hic in terra esse Christum, invisibiliter quidem Corpus suum vivificantem et unificantem per Spiritum suum, sed haud minus pro directione visibili Corporis sese visibiliter manifestantem in Romano Pontifice. Romanus Pontifex Sponsus est Ecclesiae virtute Sponsi divini; fundamentum virtute Christi fundamenti; caput virtute Christi Capitis. Inde ab initio haec docuere Pontifices, quia docere debent *omnem* veritatem.

a) Quod ad Petrum-petram spectat, lege S. Leon. Magn., *Serm.* 4, 2: *ML* 54 col. 150: Domino haec verba in ore ponentem: « Quia tu es Petrus: id est, cum Ego sim inviolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia », cum quibus conferas *Serm.* 3, 2-3; 4, 3; 5, 2-4; 63, 6: *ML* 54 col. 145-146; 150-152; 154-155; 356-357. Suo modo eandem ideam exprimit Leo IX in sua haud minus gravi quam longa Epistola *In terra pax* 6: Harduin VI pag. 930: « Quod utique devotissimus ille Petrus, non solum vivens, sed et moriens demonstravit, quando con-

grua significatione se crucifigi deorsum verso capite petivit: profecto divina inspiratione praefigurans, se esse primum et quadrum lapidem in fundamento, quod est Christus Iesus, compaginatum, cohaerentem atque connexum; qui utpote superpositus angulari lapidi, totum pondus ecclesiasticae fabricae incorruptibili soliditate sufferret, ac proprii capitis suppositione omnia membra Corporis Christi per aptas et naturales compages usque ad consummationem saeculi, quasi usque ad pedes crescentia, inflexibili collo ad coelos sustolleret ». Simili modo et Sixtus V in litteris *Rex Regum*, 2 Iul. 1588: *Bull. Rom.*, ed. Taur., IX pag. 8 *a-b*: « Rex Regum ante omnia saecula, Christus Dominus, ... Ecclesiam suam unice dilectam, suoque pretioso sanguine acquisitam, supra beatissimum apostolorum principem Petrum, cui petrae firmamentum dedit, in Se ipso summo angulari lapide a Christianae fidei primordiis aedificavit et usque ad saeculi consummationem per omnes temporum aetates mirabiliter semper aedificat ». Vide etiam Leon. XIII, *Satis Cognitum* in *ASS* 28, 1895-1896, pag. 726-729.

b) Quod ad metaphoram Sponsae attinet, innumeris in locis Pontifices Romani docuerunt, Ecclesiam Catholicam esse Sponsam Christi, sanguine pretioso acquisitam, cum alibi, tum praesertim ubi religiosorum coetus laudant, quippe qui sint ornamenta pulcherrima vestis piae Matris Ecclesiae. Non solum autem docent Ecclesiam Catholicam esse Christi sponsam, sed etiam Romanos Pontifices praefectos esse Christi Sponsae, cf. Pium IV, *Etsi Rom. Pontificem*, 18 Mai 1565: *Bull. Rom.*, ed. Taur., VII pag. 369 b; Romanum Pontificem habere regimen Sponsae Dei, universalis Ecclesiae, cf. Sixt. V, *Copiosus in misericordia*, 30 Oct. 1585: *BRT* VIII pag. 609-610; Salvatorem Sacrosanctam Dei Ecclesiam suo sanguine pretiosissimo acquisivisse, sibi Sponsam elegisse et R. Pontifici custodiendam tradidisse ac similia, cf. Sixt. V, *Cum Sacrosanctam*, 9 Ian. 1589: *BRT* IX pag. 66-67; Alex. VII, *Commissam nobis*, 10 Ian. 1656: *BRT* XVI pag. 106-107; Innoc. XI, *Coelestis Pastor*, 20 Nov. 1687: *BRT* XIX pag. 775 *a*. Immo ob rationes supra allatas non dubitant affirmare Ecclesiam Catholicam esse etiam Sponsam R. Pontificis, cf. Iul. II, *Regis Pacifici*, 24 Febr. 1509: *BRT* V pag. 474 *b*; Leon. X, *Pastor aeternus*, 19 Dec. 1516, § 8: *BRT*

V. pag. 662 *b* et *Divina disponente*, 19 Dec. 1516, § 1 et 2: *BRT* V pag. 678 *b*, ubi Pontifex eandem vocat Sponsam nostram, quam mox nuncupat: Corpus Mysticum, Sanctam videlicet Ecclesiam. Etiam Clemens XII, *Sol iustitiae*, 14 Sept. 1739: *BRT* XXIV pag. 579 *a-b*, Ecclesiam Catholicam vocat Sponsam Christi eamque describit ut bonam gallinam, addens Romanam Ecclesiam sibi per spirituale connubium desponsam. Haud aliter Pius VI *Charitas illa*, 16 Iun. 1777: *Bull. Cont.*, ed. Prati, VI pag. 348 *b*: « Mater Ecclesia, Sponsa nostra ». Quae de Sponsa sufficiant, quamquam et alia addi possunt. Perpulchram autem expositionem cur Ecclesia sit Virgo, vide in bulla canonizationis B. Iulian. Falcon., Clementis XII, *Humanum genus*, 16 Iun. 1737: *BRT* XXIV pag. 275 *a-b*.

c) Iam de imagine Corporis Christi dicamus. Limites huius operis haud minus ac vires auctoris excederet, omnes indicare locos, ubi Romani Pontifices extollant Ecclesiam Catholicam ut Corpus ipsius Christi Domini, absque ullo dubio eam Ecclesiam intendentes quam sibi Petri successoribus divino iure sciunt concreditam.

Ante omnia statuamus Pontifices Romanos huic suae Ecclesiae tribuere titulum *Corporis Christi Mystici*, sic suam facientes locutionem eam, quae paulatim ex traditione efloruerat. Conferantur Bonifac. VIII, *Unam Sanctam*, 18 Nov. 1302: *Denz.* 468; Leo X, *Divina disponente*, 19 Dec. 1516, § 2: *BRT V* pag. 678 b et *Ex supernae dispositionis*, 11 Oct. 1521: *BRT* pag. 774 *a*, qua in bulla Pontifex Henricum VIII, ornatum titulo « Fidei defensoris », rogat ut putrida membra, quae Mysticum Christi Corpus inficiant, ferro et materiali gladio abscindat; Gregor. XIII, *Salvatoris Domini*, 30 Oct. 1576: *BRT* VIII pag. 148 *a;* Gregor. XIV. *Ecclesiae Catholicae*, 28 Iun. 1591: *BRT* IX pag. 437 *a:* Clem. VIII, *Romana Catholica*, 29 Apr. 1601: *BRT* X pag. 688 *a;* Paul. V., *Inter omnes*, 21 Aug. 1606: *BRT* XI pag. 342 *b; In specula militantis*, 13 Ian. 1620: *BRT* XII pag. 459 *a;* Clem. XIV, *Salutis Nostrae*, 30 Apr. 1774, § 2: *Bull. Cont.*, ed. Prati, IV pag. 717 *a-b;* Leo XII, *Quod hoc ineunte*, 24 Mai 1824: *BCP* VIII pag. 64 *b*; Pius IX, *Instr. S. Congr. Prop. Fid.*, 24 Mart. 1858: *CPF* I pag. 627 *b; alloc.* 26 Iun. 1867: *Acta Pii IX*, I, 4 pag. 103; Litt. apost. ad protest. *Iam*

vos omnes, 13 Sept. 1868, in Act. Conc. Vat.: *CL* VII col. 9; *Constit. dogm. de fide* Conc. Vat. prol.: *CL* VII col. 248; Leo XIII, *Romanos Pontifices*, id. Maii 1889: *AAS* 2 pag. 254; *Provida matris*, 5 Mai: *ASS* 27 pag. 645; *Satis Cognitum*, 29 Iunii 1896: *ASS* 28 pag. 724; *Divinum illud*, 9 Maii 1897: *AAS* 29 pag. 649; Pius X, *Vehementer nos*, 11 Febr. 1906: *ASS* 39 pag. 8; *Etsi saepe*, 26 Maii 1910: *AAS* 2 pag. 361; Bened. XV, Mot. propr. *Dei providentis*, 1 Mai 1917: *AAS* 9 pag. 529; *Spiritus Paraclitus*, 15 Sept. 1920: *AAS* 12 pag. 418; Pius XI, *Mortalium animos*, 6 Ian. 1928: *AAS* 20 pag. 14-15; *Miserentissimus Redemptor*, 8 Mai 1928: *AAS* 20 pag. 174; *Caritate Dei*, 3 Maii 1931: *AAS* 24 pag. 186; *Lux Veritatis*, 25 Dec. 1931: *AAS* 23 pag. 510; *Ep. ad hebd. un. Pol.*, 6 Ian. 1933: *AAS* 25 pag. 23; *Item vos*, 13 Mart. 1933: *AAS* 25 pag. 107; *Ex officiosis*, 10 Nov. 1933: *AAS* 26 pag. 629; *Laeto iucundoque*, 6 Ian. 1933: *AAS* 25 pag. 23; *Ad Cathol. Sacerdotii*, 20 Dec. 1935: *AAS* 28 pag. 12; *alloc.* ad Hisp.: l'*Oss. Rom.* 14-15 Sept. 1936; *Firmissimam constantiam*, 28 Mart. 1936: *AAS* 29 pag. 191.

Clare docent Pontifices huius Corporis Mystici Caput quidem esse Christum, visibile tamen in suo in terris Vicario, ideoque Caput primarium et invisibile Corporis esse Dominum, caput vero secundarium et visibile Romanum Pontificem, ita ut Christus cum Pontifice unum totius Corporis caput constituat. Notissima hac in re est Bulla Bonifacii VIII *Unam Sanctam*, data 18 Nov. 1302, apud *Denzinger* 468. Notare iuvat doctrinam Bonifacii VIII iam expositam fuisse a Gregorio IX, qui in litteris ad Archiepiscopum Graecorum *Fraternitatis tuae*, 26 Iul. 1233, § 9: *BRT* III pag. 470-471 contra regalistas statuit corpus cum pluribus capitibus esse monstruosum, contra Graecos vero schismaticos corpus sine capite (visibili scilicet) acephalum esse censendum, et in alia epistola ad eundem *Cum iuxta testimonium*, 18 Mai 1233, § 2: *BRT* III pag. 473 claris verbis et data opera exponit sententiam utriusque gladii, alterius ab Ecclesia, alterius pro Ecclesia exercendi [1].

[1] De duplici gladio vide etiam eiusdem Gregorii IX *Si nobilis vir*, 29 Mai 1228: *BRT* III pag. 433 *b*. Praecedit quodammodo Innocentius III, *Rex Regum*, 4 Nov. 1213: *BRT* III pag. 285-286, docens regnum et sacerdotium sese habere ut corpus et animam, cf. supra p. 146-147 et 159.

Christum unum quoddam cum suo Vicario constituere Caput Corporis Mystici, semper firmissime tenuere Romani Pontifices et variis formulis expresserunt. In bulla *Consueverunt R. Pontifices,* 1 Mart. 1511: *BRT* V pag. 491 *a* dicit Iulius II Romanum Pontificem semper curare unitatem, « quae in coniunctione ad *unum* Caput, Christum videlicet eiusque vicarium, principaliter consistit ». Eodem modo loquitur Paulus III, 13 April. 1536: *BRT* VI pag. 218 *b*, et Gregor. XIII, 4 April. 1583: *BRT* VIII pag. 413 *a* in litteris, quae iisdem verbis incipiunt. Notissimae sunt litterae processus in die coenae Domini, quarum prima verba audiunt: *Pastoralis Romani Pontificis,* cf. Paul. V, 8 Apr. 1610: *BRT* XI pag. 618 *a;* Urban. VIII, 1 Apri. 1627: *ibid.* XIII pag. 531 *a;* Alex. VII, 13 Apr. 1656: *ibid.* XVI pag. 142 *a;* Clem. IX, 29 Mart. 1668: *ibid.* XVII pag. 641 *a*; Clem. X, 26 Mart. 1671: *ibid.* XVIII pag. 176 *a;* Clem. XI, 24 Mart. 1701: *ibid.* XXI pag. 20 *b;* Innoc. XIII, 2 Apr. 1722: *ibid.* XXI pag. 902 *a*; Bened. XIII, 29 Mart. 1725: *ibid.* XXII pag. 137 *b;* Clem. XII, 22 Mart. 1731: *ibid.* XXIII pag. 244 *b*; Clem. XIII saepius, 12 April. 1759, 20 Mai 1764, 28 Apr. 1766, 23 Mai 1767: *Bull. Cont.,* Prati, IV pag. 128 *b*, 872 *b*, 1068 *b*, 1160 *a*. In istis litteris semper redit eadem formula, videlicet Romanos Pontifices esse sollicitos « ut omnes... in vinculo charitatis coniuncti, tamquam unius corporis membra sub Christo Capite eiusque in terris Vicario R. Pontifice, beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in aedificatione ». Pius II vero in litteris istis famosis, in quibus Pius retractat quae Aeneas olim docuerat: *In minoribus agentes,* 26 Apr. 1463, § 3: *BRT* V pag. 174 *b* adversariis potestatis primatialis observat « Ecclesiae militantis esse unum moderatorem et arbitrum, Iesu Christi Vicarium, a quo tamquam a capite omnis in subiecta membra potestas et auctoritas derivetur, quae a Christo Domino *sine medio* in ipsum influat ». Hac de re mirum non est imaginem unguenti descendentis a capite Aaron in barbam et usque in ora vestimenti etiam ad potestatem R. Pontificis fuisse applicatam, cf. Innoc. III, *Rex Regum* ad regem Bulgarorum, 24 Febr. 1204, § 1: *BRT* III pag. 187-188. Non aliter ac antiqui loquuntur recentiores Pontifices. Pius IX, in instructione S. Congr. Prop. Fid., 24 Mart. 1858: *CIF* I pag. 627 dicit fideles esse membra eiusdem Corporis My-

stici sub uno in terris capite divina institutione coniuncta in unitate Spiritus; et Leo XIII, *Sapientiae Christianae*, 10 Ian. 1890: *ASS* 22 pag. 387, proprium munus esse R. Pontificis societatem maxime sanctissimam regere sub invisibili Capite Iesu Christo.

Nota quoque speciali digna sunt verba Gregorii XV in bulla *Inscrutabili divinae*, qua erigitur Congregatio de Propaganda fide, 22 iun. 1622: *BRT* XII pag. 691: « Uni Petro vas illud, quasi linteum ostenditur quattuor initiis de caelo submitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terrae et volatilia caeli, quodque illa vox secuta est: Surge, Petre et manducа, ut praefiguraretur Petri et successorum eius munus ex quattuor mundi partibus homines varia impietate insipientes congregandi, quo eos quasi occidendo, hoc est, veteri vita exuendo, et exutos manducando, id est in sua membra, qui visibile Caput erat Ecclesiae, convertendo, etiam membra Christi redderet, invisibilis Ecclesiae Capitis: atque ita adipiscerentur participationem generationis Christi, eamque adepti, quae Christi sunt saperent, quae Christi sunt operarentur, ac demum per gratiam Spiritus Sancti eius in aeterna pascua transferrentur, potandi torrente inexhausto voluptatis Dei ».

Quia Romani Pontifices unum constituunt cum Christo Caput, hac de causa sese aliquando vocant non solum « caput visibile Ecclesiae », sed etiam « Caput visibile Corporis Christi », vel simpliciter « Caput Corporis Mystici ». Sixtus V, *Immensa aeterni*, 11 K. Febr. 1587, § 1: *BRT* VIII pag. 986 *a* hisce verbis utitur: « R. Pontifex, quem Christus Dominus Corporis sui, quod est Ecclesia, visibile Caput constituit »; Gregorius XIII, *Salvatoris Domini*, 30 Oct. 1576: *BRT* VIII pag. 148 *a* de semet ipso affirmat: « Cum... nos unum in Christo corpus simus, pro nostri debiti officio, tamquam ipsius Mystici Corporis caput, litium occasionibus obviamus »; Paulus V, *In specula militantis*, 13 Ian. 1620: *BRT* XII pag. 459 *a* dicit, sese, licet indignum, mystici Corporis Christi visibile caput a Domino constitutum; Pius autem IX, alloc. *Maxima quidem*, 9 Iun. 1862: *Acta* I, 3 pag. 453, inter membra mystici Corporis Christi et adspectabile suum Caput, ex divina ipsius Christi institutione, arctissimam coniunctionem exsistere debere. Eos iam multos ante annos in hoc loquendi modo praecesserat S. Gelasius Pp. I, qui in

memoriam revocatis illis *Mt.* 16, 18, *Luc.* 22, 23, *Ioh.* 21, 15-18. pulchre observat Christum Dominum toties ad Petrum locutum fuisse, ut « Capite constituto, schismatis tolleretur occasio, et una monstraretur compago Corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret », cf. *Epist.* 14: *ML* 59 col. 89. Cum quibus compares velim qua methodo procedat Leo XIII in encyclica *Sapientiae Christianae*: *ASS* 22 pag. 392 et in encyclica *Satis Cognitum*: *ASS* 28 pag. 724-725. Statuit Ecclesiam esse Corpus Christi, mysticum quidem, sed haud minus vivum apteque compositum, multis conflatis membris, quae non eundem actum habeant, et quae copulata inter se, gubernante ac moderante capite, contineantur. Esse igitur Ecclesiam societatem perfectam, quae indigeat Capite visibili, Christi scilicet vicario.

Diversis aliis modis Petri successores semper repetivere, Corpus Christi hic in terris absque Domini vicario visibili intellegi non posse. Vide v. g. Innoc. III, *Ex eo te radicatum*, 23 Nov. 1199: *BRT* III pag. 166-167; Clem. V, *Regnans in Coelis*, 12 Aug. 1307: *BRT* IV pag. 187 *b*; Pium V, *Regnans in Excelsis*, 25 Febr. 1570: *BRT* VII pag. 810-811, in prologo et par. 3, ubi Elisabeth eique adhaerentes a « Christi Corporis unitate » praeciduntur; Innoc. XII, *Regi Saeculorum*, 18 Mai 1699, par. 3: *BRT* XX pag. 879 *a*, cetera. Breviter Leo XII, *Charitate Christi*, 25 Dec. 1825, § 4: *Bull. Cont.*, ed. Prati, VIII pag. 352 relationem Christi et Petri in Corpore Mystico describit, dicendo Christum Romanum Pontificem visibile pro se invisibili in Ecclesia Caput constituisse. Pulchre quoque loquitur Pius Pp. IX in litteris apostolicis *Iam vos omnes*, quas occasione futuri Concilii Vaticani die 13 Sept. 1868 direxit ad Protestantes, ubi tum alia, tum haec profert, quae valde ad rem nostram faciunt: *Coll. Lac.* VII col. 9: « Nemo inficiari ac dubitare potest, ipsum Christum Iesum, ut humanis omnibus generationibus redemptionis suae fructus applicaret, suam hic in terris supra Petrum unicam aedificasse Ecclesiam, i. e. unam sanctam catholicam apostolicam, eique necessariam omnem contulisse potestatem, ut integrum inviolatumque custodiretur fidei depositum ac eadem fides omnibus populis gentibus nationibus traderetur, ut per baptisma omnes in Mysticum suum Corpus coaptarentur homines, et in ipsis sem-

per servaretur ac perficeretur illa nova vita gratiae, sine qua nemo potest umquam aeternam mereri et assequi vitam; utque eadem Ecclesia, quae Mysticum suum constituit Corpus, in sua propria natura semper stabilis et immota usque ad consummationem saeculi permaneret, vigeret et omnibus filiis suis omnia salutis praesidia suppeditaret». Quibus compares verba Pii Pp. XI in Encyclica *Ubi arcano Dei*, 23 Dec. 1922: *AAS* 14 pag. 691, quibus Episcopos vocat eos «quibus veluti artibus praecipuis et aureis quibusdam nexibus compactum et connexum, totum Corpus Christi, quod est Ecclesia, constitutum in Petrae soliditate consurgit»; vel etiam *Ecclesiam Dei*, 12 Nov. 1923: *AAS* 15 pag. 574: «Coaluit crevitque Ecclesia in *unum corpus*, et ipsum uno vivum vigensque spiritu, cuius quidem *est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis;* sed eiusdem ea ipsa de causa, adspectabile caput is est, qui Christi vice fungitur in terris, Pontifex Romanus».

5. Mens Romanorum Pontificum clare etiam elucet ex bulla Clement. VIII *Magnus Dominus*, 23 Dec. 1595, qua Rutheni Ecclesiae Catholicae reuniuntur, et in cuius exordio motiva exponuntur, cur segregati ad unitatem redirent: *BRT* X pag. 240 *a*, § 1: «Nuper vero venerabilis frater Michael, archiepiscopus et metropolita Kiovensis... et cum eo plerique eius comprovinciales episcopi... divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, coeperunt ipsi secum cogitare, et inter se, multa consultatione et prudenti adhibita, conferre et serio tractare, se et greges quos pascerent, non esse membra corporis Christi, quod est Ecclesia, qui visibili ipsius Ecclesiae capiti, summo Romano Pontifici, non cohaererent, et propterea spiritualis vitae influxus se non posse capere neque crescere in charitate, cum ab eo essent disiuncti, ex quo secundum Deum pendet totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis in mensuram operationis cuiusque membri. Quin etiam se omnibus animae periculis et insidiis principis tenebrarum leonis rugientis propositos esse, qui intra ovile Christi, intra arcam salutis, et intra domum illam non essent, quae est aedificata supra petram, quam flumina et venti irruentes nequeunt prosternere, in qua sola domo Agnus ille ad vitae

fructum comeditur, qui tollit peccata mundi. Quamobrem ...decreverunt redire ad suam et omnium fidelium matrem. Romanam Ecclesiam ». Quapropter Pius XII in encycl. *Mystici Corporis*: *AAS* 35 (1943) p. 211 animadvertit periculoso in errore eos versari, qui se Christum Ecclesiae Caput amplecti posse existiment, licet eius in terris Vicario fideliter non adhaereant. Ideas a Clemente VIII expressas suo modo reddit idem Pius XII in Encyclica *Orientales omnes*, 23 Dec. 1945, quae dum haec folia ab erroribus typographicis purgamus, innotescit in *l'Osservatore Romano* 20 Ian. 1946.

6. Quod si quis praedicta omnia prae oculis habet, facile perspiciet, cur dixerim, absque haeresi negari non posse Romanam Ecclesiam Catholicam hic in terris Corpus esse Mysticum Christi. Unum addo, Pontifices Romanos non solum asseruisse Romanam Ecclesiam esse Corpus Christi, sed etiam haud raro illud mysterium explicasse. De Leonis XIII encyclica *Satis Cognitum* iam dixi in introductione; eius complementum quodammodo habes in encyclica *Divinum illud*, 9 Maii 1897: *ASS* 29 pag. 645 et 649-650. De encyclicis Gregorii XV *Inscrutabili divinae* et Pii X *Vehementer Nos* vide supra pag. 176 et 171; plura alia vide in bibliographia huic dissertationi addita. Exemplum sit encyclica Clementis XIV, *Cum Summi Apostolatus*, 12 Dec. 1769, § 2: *Bull. Cont.*, ed. Prati, IV pag. 71 *a*, ubi hisce verbis Papa alloquitur Episcopos: « Unum quippe totius est Ecclesiae aedificium, cuius in hac Sede a beato Petro positum est fundamentum. Multi ad illud construendum coniuncti sunt lapides, sed omnes super una petra firmantur et innituntur. Unum est Ecclesiae corpus, cuius Christus est caput, ac in illud omnes coalescimus. Nos ipsius potestatis vicariam procurationem gerentes caeteris altius illo volente praesidemus. Vos (episcopi) vero una nobiscum colligati tamquam cum visibili Ecclesiae capite potiores eiusdem corporis partes estis. Quid proinde singulis accidere potest, quod universos non afficiat, neque ad unumquemque promanet?... Quapropter una voluntatum consensione coniuncti, uno eodemque animati Spiritu, qui a mystico illo Capite profluens, ac per universa membra diffusus vitam omnibus dispertit, contendere omnes, ac dare operam praesertim debemus, ut Ecclesiae corpus integrum atque inco-

lume sit, ut nulla ruga ac macula contracta, omnis christianae virtutis laude instruatur ac vigeat. Quod quidem divina ope praestari a nobis poterit si pro virili sua quisque commissi sibi gregis studio exardescet ... ».

